46018/C
N. IV. a
18

N. IV. a 18

32 C 6516

PHILOSOPHIÆ RECONDITÆ

Sive

MAGICÆ MAGNETICÆ MUMIALIS SCIENTIÆ EXPLANATIO,

Ex qua omnia naturalia Miracula, & Admirabilia fluunt, ac in intimis atque occultis Naturæ viſceribus introitus aperitur omnibus, & per omnia.

Authore

FERDINANDO SANTANELLO

A Foreno Neapolis, Philoſopho, ac in Regio Neapolitano Gymnaſio Primario Praxis Medicæ Profeſſore.

COLONIÆ

M. DCC. XXIII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

MAGNÆ REGIÆ ANGLICANÆ
SOCIETATI.

IN præclariſſima, & ſummæ ſapientiæ Sodalitas, iterum ſcilicet tertiâ vice in campum propero,ac typis meam Magicam Philoſophiam publici juris facio, quæ quamvis exiguum corpus operis faciat, ratione contentorum, multum, & reconditiſſimum, quod in philoſophicis ſcientiis reperitur, in ſe continet, & dilucidat, laboreſque & ſudores non paucos in ipſius conſtructione mihi cauſavit. Septem meas primas Lucubrationes cùm Venetiis eſſem praxim medicam exercens, Ecc^mo^. veſtro Carolo Comiti à Mancheſter, tunc Extraordinario Oratori Veſtri Regis apud Sereniſſimam Venetam Rempublicam,dicatæ à typographo fuere, dum ego ſub ſapientiſſimis veſtris oculis dirigebam : alias duas quas addidi in reimprimitione primarum ; cum integro novi ſyſtematis tractatu de febribus, dum Neapoli in propria domo eſſem, & bella undique exardeſcerent, pro Caroli Secundi Auſtriaci Monarchia captanda, quia tunc zelantiſſima veſtra Natio pro quiete Europea firmanda, ſtrictum fœdus tenebat cum Auguſtiſſima nunc noſtra domo Auſtriaca, quamvis animus erat, etiam Vobis illa dare, non permittentes enarratæ temporis viciſſitudines, Sereniſſimæ Venetiarum

Reipu-

Reipublicæ dedi. Nunc quia ſors voto noſtro arridet, in publicatione hujus Magicæ ſcientiæ, illam vobis dare, omittere nolui. Non tantùm, uti moris eſt, ut ipſam protegatis, nam ſi bonum opus fuerit, protectione non indiget, cùm ſufficiens ex ſe ipſo erit, quemcumque adverſarium repellere: ſin minus, & inſubſiſtens eſt, veſtra præclara protectione, non erit dignum. Finis meus ergo eſt dum vobis trado (præter reverentiale obſequium, quod tantis magnis Viris defero) ut ſcientiam hanc, ordine, & fundamentis quibus contexui, in neceſſitate quâ eram, præ corruptela temporum currentium, multa occultandi, & omnia dicendi, perſpicacitate magnâ ingenii, quâ polletis, ad examen revocetis, ac ſtricto calculo ponderetis, & ſi quid boni, & dignum propalationis invenieritis, veſtrâ authoritate, & proclamatione fulciatis, ad hoc ut magis expeditè per manus litteratorum, curioſorumque hominum, excurrere poſſit: ſin verò non ex integro ſatisfaciat, ſed aliquid deeſſe inſpiciatis, vel me certiorem facite, ut idipſum complere tentem, vel benignè aliquis ex vobis, cui per otium magis licet, ad commune illud rei litterariẹ emolumentum, cui totis viribus continuè inſudatis, perficiat. Alacriter ergo huic ſpei fiſus; Opuſculum hoc prẹcurſorem meæ Practicæ Medicæ de morbis, in qua non unam ſpero me daturum novam Obſervationem, etiam circa Phyſiologiam, multùm conducibilem pro ſubſidio humanẹ ſalutis, præclariſſimis veſtris ingeniis, & ſapientiẹ, do, dico, ac ſa-

cro.

cro. Humaniſſimè ergo, ut proprium mos veſtrûm eſt, iſtud recipite, meque veſtrum, ut intimum conſautorem, addictumque ſervum tenete, ac valete felices, dum ego hîc Neapoli ero ſemper. Die 8. *Maii.* 1723.

Præclariſſimæ & Summæ
Veſtræ Sodalitatis

Addictiſſ. Obſequioſiſſ. Servus
ac Confautor
Ferdinandus Santanellus à Foreno
Neapolis.

INDEX CAPITULORUM.

Exordium ad Lectorem fol. 1.

Caput primum de etymologia nominis, & ortu ſcientiæ, qualeſque fuerint ejus progreſſus fol. 4.

Cap. 2. quo ordine procedat iſta ſcientia, an revera naturaliter detur, & quo modo operetur fol. 9.

Cap. 3. quo modo inſitiones variæ plantarum accidant, & procedant fol. 18.

Cap. 4. quo modo generationes viventium æquivocæ accidant fol. 22.

Cap. 5. quo modo variatio fœtuum à propria ſpecie per nutrimentum habeatur fol. 24.

Cap. 6. tradens axiomata, & corollaria Opus hoc dilucidantia fol. 26.

Cap. 7. operis introductio proxima, fundamenta tradens fol. 30.

Cap. 8. dilucidatio poſitorum axiomatum fol. 33.

Cap. 9. epilogatio rationalis fol. 44.

Cap. 10. de præſidiis coadjuvantibus hanc ſcientiam fol. 45.

Cap. 11. introductio proxima ad opus, ſive de pharmacis, quæ hîc eligenda veniunt fol. 52.

Cap. 12. de tempore tam collectionis, quàm applicationis horum pharmacorum fol. 54.

Cap. 13.

Cap. 13. *de modo fermentandi magico fol.* 56.
Cap. 14. *de magnetibus, ſive pharmacis magneticis fol.* 60.
Cap. 15. *de mumiis, ſive balſamis mumialibus fol.* 63.
Cap. 16. *de fæcibus ani fol.* 66.
Cap. 17. *de urinis fol.* 67.
Cap. 18. *de ſudore, & inſenſibili tranſpiratione fol.* 68.
Cap. 19. *de pilis, & crinibus fol.* 70.
Cap. 20. *de unguium prægminibus, & dentibus fol.* 71.
Cap. 21. *de ſputo, & narium mucore fol.* 72.
Cap. 22. *de ſanguine, & pure fol.* 73.
Cap. 23. *de modis quibus hæc ſcientia utitur in applicatione remediorum, ut ſanitatem in corpore morbido introducere poſſit fol.* 76.
Cap. 24. *de tranſplantatione, & variis modis, quibus perficitur. fol.* 78.
Cap. 25. *de nuda applicatione, & modis illam exequendi fol.* 83.
Cap. 26. *aphoriſmi particulares, quibus in epilogum tota magia ejuſque regulæ continentur fol.* 85.
Cap. 27. *advertentiæ, explicatio, & epilogatio quædam magiæ fol.* 95.
Appendix compendiaria figurarum cœleſtium inſculptarum fol. 98.
Altera appendix vim numerorum medicam tangens fol. 101.
Appendix alia 3ª. *in qua ratio determinatur quo modo dæmones naturalibus rebus fugantur fol.* 104.

PHILOSOPHIÆ RECONDITÆ,

SIVE MAGIÆ NATURALIS,

D. PHIL. FERD. SANTANELLI &c.

Exordium ad Lectorem.

BArbarus invaluit mos hiſce noſtris temporibus, dum Opus, ſive Liber aliquis in lucem prodit, ſi patrii authoris ille fuerit, vel non legere, vilipendere, ac projicere, ſaltem uſque dum author vivit, atque tali modo, ad praxim reducere invete-ratum adagium illud, nemo propheta acceptus in patria ſua: *vel ut plurimùm opus dum in manus aliquorum venit, ſtatim aperire, titulum legere, ordinem capitulorum, aut denique in primo capitulo, ſive principio, in medio, & ultimo, nonnihil obſervare; & ita in circulis, in medio aliorum ingredi, & judicium de opere præbere, non uti eſt, nam neſciunt; at uti propriæ paſſiones, ac phantaſmata eo-rum mentium dictant (quamvis hîc negare non intendimus, inter tantos, nonnullos probos, & literatos viros non adeſſe) & licet hæc, & alia iniquitatis, & ſuperbiæ portenta, parùm mihi apprehenſionis faciant: tamen heùs tu, in cujus manus opuſculum hoc pervenerit, currenti calamo, uti dici ſolet, ſaltem, & proëmium, & opuſculum lege totum, antequàm de eo loquaris, niſi expectare velis redargui-tionem* Cæcus non judicat de coloribus: *ac deindè ſi ex turba diſ-currentium intra ſe ipſos, eruditulorum, & omnia ſcientium es, ex-tende aures, ſuſpende ſupercilia, denteſque & linguam acue, morde, & alloquere, ubi magis tibi placet: nam non dubito tunc, quin quiſ-quis fueris ex prima excurrenti lectione caninos dentes, morémque reliquorum depoſueris, ac fortè invidioſum animum, ſatyricúmque*

 genium

genium ſuſpenſurus eris, atque iterùm, & de novo opus legendum, attentè, humanè, pacatoque animo ſuſcipies, atque quicquid, ſi boni in eo aderit, tunc certè frueris; Sin minùs, malum, & erroneum benignè ferendo corriges, incompletum complere tentabis, ſuperfluum eliminabis, atque opus hoc tali modo, uti naturalis ſocietas, & humanitas requirit, maximi momenti efficietur. Neque ex alio capite, ut ad operis ordinem deveniamus, te in ſuſpicionem aliquam ducat, ſpecioſus hujus operis titulus, nam (& primò) tibi, & mihi æquè notæ eſſe debent currentium temporum, ac morum viciſſitudines, quæ ad id faciendum impellunt. Titulo namque non obſtante in ſcientiæ enodatione dilucidè quantum mihi licitum fuerit; proceſſurum ſpero. Et ſi quid tibi (& eſt ſecundum) obſcurum, abſtruſúmque in principio videbitur, & difficultatibus adhuc involutum, rectè tamen illo perpenſo, ac meditato, omnis ambiguitas, tunc diluetur, & clariora omnia fient. Lege igitur humano, & attento animo; uti proprium eſt proborum, doctorúmque hominum, & cum meditatione perpende; nam non ſolùm, pauca nonnulla illa ſejunctim vix tacta à quibusdam philoſophis, ac tanquam magna arcana cuſtodita, & ſub ſigillo ſilentii repoſita (hoc pro certo tenendum, nempè cognitionem hujus ſcientiæ priſcis temporibus, præſertim apud Ægyptios habitam fuiſſe, magis quàm nunc, licet tota arte occultaverint, ænigmatibúſque, fabulis, ritibus, ſimilibúſque rebus, ad ignaros, & plebeos decipiendos, repleverint, ne in manus eorum deveniret) hîc palàm quantum mihi licitum eſt, ac permittitur, at omnia hujus ſcientiæ fundamenta, manifeſta, & enodata facere ſpero. Ad hoc ergo faciendum nulli peperci labori, & ultra meditationes, experimenta, ac continuata colloquia, & ratiocinia cum ſapientibus, ac prudentibus viris, variæ lectiones plurium reconditiſſimorum antiquorum librorum, non intermiſſæ fuere, quo tempore in conſumptum fragmentum manuſcriptum incidi, operis VVillielmi Maxuelli M. D. Scoto-Britannici à Georgio Franco editi, nonnulla cujus in hoc opere noſtro, ad literam reperiuntur, & non pauca tantùm emendata à nonnullis ſenſibus erroneis. Tali ergo labore, & continuatis diurnis, atque nocturnis meditationibus, cum non paucis repetitis experimentis, ad complementum hujus compoſitionis pervenimus. Finis autem quo laborem hunc (& eſt tertiùm aggreſſi fuimus, non fuit certè vanitas, ut coram hominibus videremur aliquid,

neque

neque ut hinc Certis Perſonis, occaſionem præberemus, propriis paſſionibus parere, nam in iſtis, & conſimilibus rebus præcavendis, quæ forſan proximo nocumenti eſſe valerent, quantum poſsibile fuit, cautum, & ſuccinctum me geſsi, cum etiam nonnullarum rerum non ſpernibilium abſconſione, & hinc in ſcientiæ hujus enodatione, multa cum circumſpectione progreſsi fuimus, tantùm quæ ad bonum ducere poſſunt inſinuantes. At finis potiſsimus [præter neceſsitatem quam habuimus à praxi ordinaria, à nobis priùs ex cathedra juvenibus tradita, quamque poſt hoc opuſculum, immediatè typis trademus publicandam, in qua non una obſervatur adjuncta curatio magica, magnetica, implantatoria, tranſplantatoria, & Zenextalis, cujus ibi, nulla ratio datur; uti efficere deberent veri philoſophi] in hoc opere paragendo, fuit, naturalem rationem multorum remediorum, in praxi traditorum reddere, atque mundum illuminare, ut ab inſpectione tot abſconditorum remediorum, quæ ex ſcientiæ magicæ propalatione elucidabuntur, ſuperbiam, & turgidam oſtentationem, præſuppoſitæ ſapientiæ deponat, ac agnoſcat, communem ſtatum miſerabilem ſuppoſitionis, & ignorantiæ onuſtum, in quo huc uſque vixum eſt, gratiáſque agat altiſsimo omnium bonorum authori, ac tantorum myſteriorum, in eodem ordine, quo ipſa condidit [ordinem hunc cum communi voce, naturam vocamus] conſervatori, atque in emolumentum, & expeditum ſubſidium afflictiſsimi proximi dirigat. Humanum namque genus, noſtris hiſce temporibus magnoperè afflictum à non paucis, etiam novis morbis, & innumerabilibus aliis diverſis calamitatibus, dum auxilium quærit, ab ordinariis, & notis uſualibus remediis, tempus fruſtrà terit, cum impoſtoria oſtentatione incertæ ſcientiæ, quâ velant [licet talis ſit] profeſſores non pauci propriam ignorantiam. Neceſſarium eſt ergo nunc novam hanc viam aperire, ſpe forſan, ut tanto errori, tantiſque miſeriis, reparetur. His ergo, aliiſque perpenſis, dum perplexus, indeterminatúſque de opere manebam, ſtatim opus hoc, publici juris facere, ac typis mandare decrevi, ſperans forſan ab ipſo, ut quivis ſaltem curioſitate motus, in expanſis, & reſeratis naturalis philoſophiæ penetralibus, dum ſe intrudit, addiſcere, & concipere poſsit (dum per viam ordinariam progredi nolunt) quæ neceſſaria ſunt ad tot, tantaſque calamitates fugandas, & eò magis, quòd unuſquiſque dum allectus à ſplendore

hujus magicæ ſcientiæ, oculos ſuæ mentis aperit, præter curationem corporalium morborum, illam etiam animi reperire poterit ad pacatè quietéque vivendum in hoc mundo, ac demùm ſublimiora, quæ ad Creatorem Omnipotentem ducunt, perfectiùs cognoſcendo, ardenti, ac virili animo proſequi, tanquam ſolida, æterna, & veræ felicitatis plena, ſuperantia omnia momentanea, fugacia, & miſerrima ipſiusmet mundi. Iſta igitur Lector *cùm fuerint, quæ me impulerunt, ut in apertum, hoc opus proferrem, hæc eadem in animo legentis, eſſe debet, intentionalis receptio, ita jubente, Divina & humana lege, ac charitativo conſortio, quæ ſi viguerint, unus quiſque pro certo teneat, proſperè ſe ipſum, in hac ſcientia ambulaturum, atque alia multa adinventurum, de quibus hoc in opere non pertractatur. Et è contra ſi finis legentis bonus, & charitatis plenus non erit, lux occultabitur, tenebræ fient, & omninò malè omnia ruent, ac quammulta ipſi celabuntur, quæ in opere diſperſa, & vix tacta datâ operâ notantur. Immò quod pejus eſt, judicium Divinæ juſtitiæ inſurget atque miſeriis, & periculis non paucis ipſum gravabunt. Hæc ergo attentè, rectéque perpende, antequàm ad opus ingrediaris, nihil aliud in mente tua præfigens, niſi bonum inde colligere, nam dum tali propoſito eris, nunquam malè operaberis, ſcientiam perfectè acquires, te ipſum, & proximum à calamitatibus, ac periculis liberabis, atque de operis promotore, ſpero quòd recordaberis. Vale.*

CAPUT PRIMUM,

De Etymologia Nominis, & Ortu Scientiæ, qualéſque fuerint ejus progreſſus.

NOmine ſcientiæ Magicæ, quam pertractandam ſuſcipimus, intelligenda venit illa naturæ vis, qua mediante multa portentoſa fiunt, abſque ullis ritibus, verbis, characteribus, invocationibus, conſecrationibus, conjurationibus, incantationibus, ſuffitibus, cæremoniis, nominibus, ſigillis, fide, confidentia, ſomniorum obſervatione, profanatione rerum ſacrarum, ſpeculis, temporum præfixorum circumſtantia, aliiſque conſimilibus fidei orthodoxæ meritò ſuſpectis, tanquam ſatannicis, ſed ſolùm appli-

cando

cando activa paſſivis, licet utplurimùm inviſibiliter iſtud accidat, & quandoque vix ipſis ſenſibus internis, & intellectui percibile, quamvis non extra ſphæram activitatis, & uti dici ſolet in diſtans, abſque activorum in paſſivis applicatione (iſta eſt una ex rationibus, & modis operandi hujus ſcientiæ, quod in proprio capite de modo operandi, deferri debet) nam quod in ſphæra activitatis eſt, in diſtans poſitum, dici minimè poteſt, & quamvis inviſibiliter agat, agit per contactum ſuæ energeticæ virtutis, uti e. g. ignis dum calefacit, & quandoque urit, abſque ullo contactu viſibili in ſphæra ſuæ activitatis; aut odores dum ad conſiderabile diſtans, multoties manifeſtant diſcernibilia eorum corpora odorifera, abſque ullo viſibili contactu, in diſtans vulgare non efficiunt, at in Sphæra ſuæ activitatis, & ita diſcurras de multis aliis rebus.

Hanc ergo naturalem humanam ſapientiam, in hoc noſtro opere, pertractare intendimus, ſimplicem, nudam, & purè naturali ordine, non verò alteratam, ceremonialem, quam Græca Antiquitas dividebat in theurgiam, & goëtiam, ambo ſatanicæ, & indignæ, ut à credentibus, & orthodoxis practicentur, quin immò ſciantur. Quare meritò primam, quæ à nobis pertractanda ſumitur, dicere cum clariſſimo authore aliquo poſſumus, *eſſe ſapientiam rerum phyſicarum, & intelligentiam metaphyſicam, ideoque venerandam:* ac ſapiens vetuſtas, ſcripſit de ipſa cum ænigmatibus, mixtis fabulis, ut ignaro vulgo, hominibuſque non rectæ intentionis, occultaretur, timens cum Pythagora, ne ex ipſius abuſu, mundus deſtrueretur, & periret; atque hinc in ſuis Gentilitiis Theologiis, non contenti loqui parum, at confusè atque abſque ordine voluerunt, ut ſolùm à doctis ad id inſtructis, intelligerentur: quo fine Ægyptii inſtituerunt characteres; cifras, & hieroglifica, cum quibus notabant, & ſcribebant ſcientiam hanc, quæ omnia deinde, determinato numero perſonarum priùs expertarum, & inſtructarum, viva voce communicabant, & non aliis, niſi quibus ſubſtitutio contingebat, cauſa mortis alterius.

Quare ſciendum in primis, fuiſſe hanc ſcientiam, antiquitùs magiam nuncupatam, ad quam addiſcendam Pythagoras, Democritus, Plato, Empedocles, aliique preſtantiſſimi Philoſophi magno ſtudio, laboribus, ac itineribus incubuerunt, & ante ipſos in eadem inſudarunt, Zamolſites Scita, magiſter Abbaris Hiporborei, uti etiam Zoroaſter filius Oromaſii, qui ipſam diſperſit inter Perſas, Medos, Bactrianos, Maſſagetas, & Sogdia-

 nos,

nos, multiſque cæremoniis, falſiſque ritibus, & invocationibus conſpurcavit. Habuit pariter ipſam Mercurius Triſmegiſtus in Ægypto, ex quo translata fuit ad ſuos, & ex his ad Orpheum Thracem, quem, inſecutus eſt Aglofemus, ex quibus Pythagoras, aliique præclariſſimi philoſophi addiſcerunt, qui deinde ad Græcos, & hinc ad alias nationes tranſmiſerunt.

Ab aliis deinde ſubſequentibus temporibus, mumialis fuit appellata: à non paucis magnetica: à quibuſdam balſamica: à nonnullis ſimpliciter ſympatica; vel magica Sympatica, quamvis omnes quotquot nominibus uſi fuere, ſemper ad idem, & eamdem ſcientiam, mentem habuerunt;

Primi namque ſcientiam verè ſcientium, & doctorum hominum nomine Magiæ intellexerunt, nam magia vox Perſica eſt, quam accipiunt, pro humana ſapientia, & perfecta rerum naturalium cognitione, quamvis deinde ipſam dividant in multas differentias, quæ quia hujus loci non ſunt, nos tanquam catholici de illis parum curamus, uti fidei orthodoxæ non congruentibus.

Secundi cum nomine Mumialis intellexerunt ſcientiam eamdem, at tanquam operantem ferè per incorruptibilitatem medii, quod æthereum, ſpirituoſumque eſt, participans ex ſpiritu univerſali, anima mundi appellato, qui duraturus eſt, ad finem uſque ejuſdem mundi, ideóque omnia, quæ incorruptibilitatem fovent, atque preſervant à marceſcentia, & corruptione, Mumia à non paucis vulgò appellatur.

Tertii quia obſervarunt plurimas operationes hujus ſcientiæ abſque viſibili rectore operante promoveri, Magneticam appellarunt, ad ſimilitudinem lapidis magnetis, cui in operativa motione ferrum unitur, abſque viſibili rectore, & duce.

Quarti Balſamicam dixerunt, quia cum nomine balſamici, explicant virtutem ipſius quamdam vivificantem, conſolidantem, atque emendantem corpora omnia, quæ ad ſui conſumationem, & putrilagineam internecionem abirent, uti balſama, omnia efficere ſolent, in conſolidandis, emendandis, atque vivificandis vulneribus, & ulceribus partium corporis.

Sympatica demùm à ſimplicioribus hominibus vocata fuit, quia per ocultam, & inviſibilem vim operantem (iſtum modum operandi occultum ab ordinario, & differentem ab apparenti, ſympatiam vocant) operationes ſuas prodit.

Igitur concludimus philoſophos omnes, qui de hac ſcientia locuti ſunt, ad idem adſpiraſſe, licet cum diverſis nominibus, diverſi-

diverſimodè explicarint eamdem Scientiam, cujus forſan intimam eſſentiam, & ipſius procedendi modum ignorabant, quamvis hunc, vel illum operandi modum perpendentes, non ineptè nomenclaturam ipſius tradiderint. Scilicet dum modum ejus quô exercetur, nominare in prodigioſis ejus operationibus voluerunt, quia non niſi à ſapientibus, doctis, & prudentibus viris, exerceri poteſt, ideò rectè magica, & doctorum hominum ſcientia, nuncupata fuit. Cùm verò media, per quæ iſta operatur, in conſideratione veniunt, quia iſtæ ſpiritoſæ portiones corporum operantium ſunt, & ſpiritus ex imputreſcibili corpore univerſali illo æthereo, vulgò anima mundi appellato, originem ducunt, ideò mumiali nomine (mumiale idem eſt, ac putreſcibilitati non ſubjacens, reſiſtens & impediens) non incongruè cum conſimili vocabulo mumiæ, appellari iſta ſcientia poteſt. Cùm adhuc ſub nomine magnetiſmi, appellata fuit, ad nihil aliud oculos habuerunt, taliter nuncupantes, niſi à ſimilitudine ad effectum magnetis lapidis, qui ferrum alliciendo, ſibi unit, cum prodigioſa admiratione indoctorum, qui ab tractione ab ipſis vocata, attracti, & attoniti manentes, non comprehendunt, quod Magnes dum effluvia emittit, iſta in ferrum percutiendo, quia conformis; & ſimillimæ conformationis cum poris ferri ſunt (ferrum & magnes ex eadem minera ortum ducunt) in ipſis intruduntur facillimè, & motionem difflantem adauctam in ferro excitando, in magna quantitate inſenſibiles tranſpirationes, & effluvia, promovent, quæ deinde velociùs ob eorum motionem, aëris locum, inter ferrum; & magnetem occupando, efficiunt ut hic laxus, rarus, & expanſus, ac à reliquis ordinariis atmoſphæræ corpuſculis, evacuatus evadat, nam effluvia magnetis, & ferri unita, per motum circumpulſionis aëris pellunt, quod inter ipſa manebat, adeóque cauſam proximo aëri dant, ut violenter compreſſo, & conſtricto quærat cum ſua elaſteitate reſtitui; & reintegrari, in primum ſtatum æquiponderantem, & extenſum, in quo manebat; & hoc modo impetu facto, ferrum premit, & impellit magnetem verſùs, cùm ex parte dorſi ferri tantùm preme-re poſſit, nam à parte anteriori, & laterali, ab effluviis ipſius ferri, & magnetis, evacuatus, & expanſus manet; ideóque quia, quò magis ferrum, & magnes approximantur, eò magis creſcit intermedii aëris expanſio, cum unione effluviorum ipſorum reliqua corpuſcula expellentia, & cum hac evacuatione, retrorſùm compreſſio, ideò ſemper nova, & faciliori impulſione adaucta, & accelerata, uſque ad magnetem, ferrum fertur, & non è contrà magnes, quæ ſtat tanquam terra mater exci-

tatrix

tatrix, & promotrix effluviorum ferri, adeóque in motu poſuit ferrum, uti ſolidè philoſophantes tenere debent.

In Magia namque, ut ad propoſitum noſtri operis redeamus, quia non comprehendebatur,quòd dum ſpiritoſæ portiones difflantes unius corporis, percutiunt, & intruduntur in corpus alterius, ac in iſto motivam operationem excitant, prodigioſi effectus magici inſurgunt, cùm effectus ab hac ſcientia, taliter promotos viderint, magneticam ſcientiam ob ſimilitudinem effectuum magnetis, illam vocarunt. Pariter ac effecerunt dum balſamicam, vel ſympaticam dixerunt, nil niſi cum intuitione effectus, nomina ponentes; nullimodè perpendentes, quòd non ſolùm quælibet phantaſia, vel imaginatio deſcriptum magnetiſmum habeat,verum etiam quodlibet corpus idem poſſideat, *cùm quodlibet materiale in ſui exiſtentia difflantem aëream atmoſphæram habeat*, per quam explicatus magnetiſmus exerceri debeat, adeóque multò magis ab imaginatione, & phantaſia hic magnetiſmus, promoveri poteſt, tamquam ab illis, à quibus *immiſſio effluvioſa ſpiritoſæ portionis* commodè, faciliùs, & in abundantiori quantitate, valet promoveri.

Igitur colligitur ex his, & dicendis, quantùm ad hanc Scientiam promovendam, in operationibus ſuis, valeat imaginativa, quamvis non ſit, ſine qua non; licet ob defectum ipſius, quandoque effectus hujus ſcientiæ non habentur, vel languidè accidant. Neque ex his à ſciolis, & indoctis credatur, naturaliter iſtam Scientiam dari non poſse, dum ad illam; tantùm valet imaginatio: nam falluntur iſti, quia licèt imaginatio, quamplurimis vicibus deſerviat, & concurrat ad effectus magicos promovendos, uti etiam in ordinario, & conſueto modo medendi accidit, tamen non ſemper ad ipſos intruditur, & dum concurrit, adaugendo tantum quantitatem effluviorum difflabilium, efficit, ut ſpiritoſæ particulæ cum majori energia, impetu, & expedita motione ferantur; quod naturaliter eſt operari; uti multis rationibus, & experimentis demonſtrare poſſumus,quæ quia notiſſima intelligentibus, tanquam ſuperflua, libenter relinquimus, uti fecimus de authoritatibus, & exemplis etiam in ſacris paginis notatis, hunc naturaliſmum clarè probantibus, cùm ratio eſſe debeat dux Philoſophorum, cujus partem nos gerimus, non authoritates, quæ ad nil aliud deſervire debent, niſi ut declarent id, ab aliis etiam ſenſum fuiſſe.

CAPUT II.

Quo ordine procedat iſta ſcientia, an reverà naturaliter detur, & quomodo operetur.

DAri hanc ſcientiam, naturalem eſſe, ac ordine ſimplicis naturæ operari, neminem ſpero fore, qui neget, licet à principio non credat, ſi ſolummodò paſſiones deponens, cum indifferentia, & matura meditatione, rationes, ac experimenta, pro illa militantia, expenſurus erit, dum proponuntur à nobis medicinam exercentibus, cujus pars principalis, & nobilior eſt, & à qua ortum duxit magica ſcientia, & eò magis quòd præter rationes; authoritates, tam ſacrarum paginarum, quàm diverſorum clariſſimorum authorum, ac hiſtoriarum, non deſint, quæ ſufficienter convincant, naturaliter ipſam dari, quas ſic referre, longum quia eſſet, ſolùm inter tantas, unam afferre non dedignabor, eſtque illa *Trithemii* in Epiſtolis, ubi ita loquitur: *magia naturalis pura eſt, ſolida, ſtabilis, & licita, quæ Principes maximè decet, & ornat: nec unquam ab Eccleſia prohibita, nec etiam jure prohibenda, quippè quæ puris principiis naturæ innititur, nullamque ſuperſtitionem admittit:* hæc *Trithemius*: alias authoritates qui cupit, paſſim apud Patres inveniet, quas nos mores philoſophi gerentes, libenter relinquimus, & ad rationes, ac naturaliſmum devenimus.

Et primò naturaliter dari hanc ſcientiam magicam, ita probamus, ab intrinſeco ejus inſtrumento operativo. Spiritus noſter.e.g.in quo fundari debet effectus hujus ſcientiæ, dum in nobiſmet exercetur (*iſte eſt modus quomodo operatur magia in ſuis effectibus exercendis*) cùm ejuſdem ſubſtantiæ ſit cum æthereo illo univerſali, vulgò anima mundi vocato, neceſſe eſt ut commercium, & operativa aliqua actio, naturaliter inter ipſos habeatur, licet inviſibilis nobis, cùm inter ſymbola, facile, & congruens ſit iſtud commercium & mutua operatio, ratione cujus, effluvium promovetur illud, quod facit magnetem, & ferrum uniri, reliquaſque conſimiles res operari inviſibiliter. At non ſolùm in noſtro ſpiritu, verùm etiam in ſpiritoſis particulis cujuſcumque rei, fundatur operatio magica, tanquam in medio, per quod operatur, cùm natura una ſit, ſemper ex ſui parte univerſaliter operans uniformiter (naturam diximus eſſe intelligendam pro ordine illo

 primævo

primævo rerum, à creatore ſuo unico; cui correſpondere debet; poſito) uti ex dicendis patebit. Igitur ſi naturaliter habe-ri poteſt commercium inter duos iſtos ſpiritus, ſcilicet æthereum, & noſtrum, atque ſimul operari, ac communicare abſque viſibili nobis, aliquo objecto intermedio, naturalis etiam erit, tanquam effectus iſtius, ſcientia magica, & quælibet operatio ipſius, quæ in ſpiritoſis deſcriptis particulis fundatur, licèt ut-plurimum abſque viſibili medio, & in apparenter diſtans, operatio nobis videatur.

Conſequentia ſuperiùs tradita, licèt tanquam legitimè ſubſequens, neceſſariò vera eſſe debeat, experimenta etiam quamplurima non deſunt, quæ illam firmare poſſunt? Si namque lapidis magnetis tanta immenſa quantitas prodigioſorum effectuum, qui videntur, dignoſcerentur, & antea viſi non fuiſſent, dicant quæſo, quiſnam etiam ex litteratis hominibus videns per particularem aliquem, in cujus ſola manu magnes adeſſet, tot ſtupendos effectus promoveri, de ſuperſtitione, & alienatione à naturaliſmo non dubitaret? Cur hodie non dubitatur de effectibus iſtis, licèt in apparens diſtans, & prodigiosè accidentibus, non alia certè ratione, niſi quia communes ſunt, ab unoque quoque videri, & experiri poſſunt, citra quamcumque ſuperſtitionem, quæ cum pacto, vel cæremoniis deberet conjungi. Ita pariter de effectibus hujus magicæ Scientiæ diſcurrendum, & tenendum, quòd quia ab uno quoque perito hujus ſcientiæ, exerceri, & videri poſſunt, abſque ulla clauſula, & reſervatione, ideò reverà dari, & naturales eſſe, ac non aliter tenendum.

Quod commercium inter ſymbola, & præſertim inter ſpiritoſas particulas viventium, cæterorumque mixtorum, & illum univerſalem animam mundi appellatum communem omnibus, haberi poſſit, immò de facto habeatur, clarè patet? Nam dicant mihi quæſo contrarium tenentes, cur unus oſcitans, ſivè halans, reliqui ex diverſorio, præſertim ſi ei conjuncti Sanguine ſint oſcitare videntur? cur carduus angelicus, carlina, multaque ſimplicia, cæteris vires auferant, & geſtanti dent? Cur nativi gamahæi cujuſcumque conditionis ſint, geſtantibus vires; audaciam, & victoriam tribuant, auferentes à ſuis contrariis, & hinc nuncupari ſolènt gamahæi à nonnullis angelica mixta? Dicant, quæſo dicant, lingua, vel ſpolium ſerpentis, ſolùm geſta-ta, audaciam augens, cur victoriam ab inimicis, & partum facilem reddant? Quid quæſo oculus lupi in manu noſtra geſtatus, imprimit canibus, ut eoſdem in fugam, & timorem inducat? Quid bufo muſtelæ, muſtela ficedulis, & ſerpens vulgò cervi-

nus

nus bufoni imprimit ſuperſtitioſi, quod animalia iſta vi impellat verſùs ſuum cognitum inimicum, & mortis datorem? Quid præter effluvia vagantia poſſet movere aquilas, ut ab oris Italiæ tranſirent in Africam ad comedenda cadavera? Quid ſtigmata fructuum, e. g. à matribus in utero impreſſa infantibus, movet ut dum in campos vegetando creſcunt, & matureſcunt, in corporibus viventibus eorumdem infantium, pariter vegetent, niſi commercium effluvioſum ſuperiùs deſcriptum? Quid cadavera enecatorum nonnunquam movet, ad ſanguinem fundendum, dum ante ipſa occiſores comparent? Quid facit impinguare corpora humana poſt mortem eorum conjunctorum, niſi notatum commercium? Quid efficit mors illorum ex quibus philtra deprompta fuere, quod perire pariter facit, vel ſaltem tabida reddi, & debilitari corpora illa, in quibus prædicta philtra fuerunt intruſa? Quid efficit ut virga corylina bifulcata in manus geſtata, incurvetur, uti traditur, ad præſentiam minerarum, præcipuè metallorum nobilium, aquarum, & interficientium? Quid efficit, quod lac ſi ſupra prunas decidat, ubera ex quibus eſt emunctus, ſterileſcant, doloremque patiantur, quod non accideret, ſi ſal ſupra lactem, & prunas projiceretur? Quid efficit ferrum candens in fæces immerſum, quod facit anum dolere, & incruſtari? Quid equis datur, qui ſi Auguſti menſe naſcantur, dum per aquas pertranſeunt, in illis cubant, præter virtutem illam plaſticam communem omnibus, quæ etiam efficit, ut pulli columbini mares, menſe Martii nati, & feminę Auguſti, ſint magis apti ad prolem, quàm quilibet alius in cæteris menſibus natus? Quid efficit ut aranea per proprium filum, in aëre vibretur, dum bufonem, aut ſerpentem vidit, cumque impetu, deinde ſupra caput illorum impellatur, ut illos feriat, & occidat? Quid efficit ut florente cicuta, aut violis, tunc ſi colligantur, & morbi accidant colligenti, quolibet deinde anno, dum hæ floreſcunt, patientes, vel recidivam, vel aliquam aliam læſionem patiantur? Quid efficit tactus matris utero gerentis, ad talem ſui corporis partem, dum aliquid appetit, quod facit fœtum, in tali ſimili parte ſignatum naſci, & ſi fructuum impreſſio fuerit, quotannis vegetare, tempore vegetationis talium fructuum? quid efficit ut ſi tantùm ſignum faciamus aliquem vellicare, ille aufugiat, vellicetur, & contorquatur? Quid ſalix dat fructici ſambucei, ſupra ipſam natum, quod efficit, ut ignis fugiat, extinguatur, & expellat ipſum, dum in eo projicitur, quod in aliis ſambucis non accidi? Quid efficit, quòd dum oleum ſupponitur cucumis, hec fugiant ab ipſo retrocedendo, & ſe ipſa incurvando? Quid efficit, quòd dum quis, urinæ ardorem patitur, ſi tribus diebus min-

gat ſupra urticam majorem, iſta exſiccetur, & ille ſanetur? Quid turchina, turchois, ſive turcicus lapis dat corporibus ipſum geſtantibus, quòd dum procidunt, non lædantur etiamſi turchina præ violentia frangatur? Quid efficit, ut lapidem aſteream geſtantes, benè videantur, & grati ſint aliis hominibus, præcipuè potentibus? Quid efficit (ut diſtans apparens clarius examinetur, in operationibus magicis) quòd vina hiſpanica e. g. hic Neapolim aſportata, fervent rhythmum propriæ regionis, nempè effloreſcant, tempore, quo vites in Hiſpania florent; & non quando Neapoli? Quid efficit quòd naſus factitius arte Chirurgica, à brachio cujuſdam bajuli depromptus, decideret, & putreſceret in Belgico, dùm bajulus Bononiæ mortuus eſt? Quid eſt (ut ad rem concatenationis commercii, in diſtans apparens accedamus) quòd dum quis de alicujus ſalute ſollicitus, ante oculos ſuos continuatam notitiam habere vult, ſufficit etiamſi ad plura millia millium diſtantiæ ſit, ut habeat ampullam vitream plenam, vel etiam non integrè plenam, ſpiritus ſanguinis ipſius per computrefactionem philoſophicam fermentati, & diſtillati, rectè clauſam, nam obſervabit, quòd dùm ruber hiacintinus eſt, ſalute fruitur, dùm verò in morbos incidit, purpureitatem deperdit, varioſque pro infirmitate colores ſubit, & dum moritur, in putrilagineam limoſam materiam præcipitatur, ac reſidet? Ubi ſatanas hic appulit, ubi ſuperſtitio in tam variis mutationibus, reſpondentibus corpori tam diſtanti? Demùm quid, dum duo perſonæ diſſitæ, & diſtantes millia millium, ſecum alloqui volunt quoties eis placet, imò de facto confabulantur cum cifra, per cartam ſanguinis magicam, ſatanas, & ſuperſtitiones habent, certè nihil, nam dùm ſeparatim ab utriſque ſanguis miſſus fuit, pro efformatione cartæ ſive papyri magici, eodem modo miſſus fuit, ac ordinariè in omnibus mittitur, abſque ulla clauſula, dum coagulatus fuit, pariter abſque ulla circumſtantia factum eſt, uſque ad ſui induritionem, præter cautelam diſtantiæ à ſole, ne ſpiritoſa portio, omninò diſſipetùr, ita ſimiliter in lanceolis, ſive cultellis, quibus ſanguis miſſus fuit, ordinaria fuere, quibus ſanguis in omnibus mittitur, & quælibet alia indiſcriminatim deſervire poteſt, cifra demùm aliud non eſt, niſi papyrus, ſivè pagina quælibet ordinaria, in qua notatæ reperiuntur ſignificationes ad placitum poſitæ, tot ictuum, hoc importare, & non aliud: modus tandem correſpondentiæ, ſimplex pulſatio cum cuſpide lanceolæ eſt, ſupra cartam ſanguineam magicam, & in correſpondente attenta notatio ictuum.

Ex

Ex iſtis, & quampluriмis aliis, quæ afferri poſſent, præter magnam quantitatem Zenextorum, amuletorum naturalium, gamahæorum, & ſimilium magicorum, purè naturalium, certè ſi ſolidè philoſophari volumus, tenemur dicere, nil aliud effectus hos promovere, niſi inviſibile oculis conſimile illud, quod efficit ut hirundo piſcis qui ſemper ad ventos qui ſpirant dùm in pixide eſt, vertitur, aut magnes, vel ferrum magnetizatum volvatur ad polum, alioſque omnes varios, & diverſos effectus magneticos efficiat, quod idem ipſum eſt, ac illud à magnete communicatum ferro; Et quia iſtud tale eſt effluvium ſpirituſum uniforme, & ſymbolum, inter ipſum magnetem, & ferrum (uti ſuperiùs dictum, & explicatum eſt) quod effectus illos promovet, dùm inter ipſa commercium habent: ideò tenendum, quòd ubi ſpiritoſæ portiones, & ſymbola inter ſe percutiunt (licèt inviſibiliter oculis noſtris, & ad magnum diſtans apparenter) inter ipſa commercium, & operativa actio aliqua naturaliter, & neceſſariò adeſſe, ac exerceri debeat.

Neque dicatur effectus ſuprà deſcriptarum rerum accidere, per inſtinctum, antipatiam, ſympatiam, aliáque nomina, ignorata à proferentibus quid ſint: nam nomina hæc à nobis, in noſtris lucubrationibus, & ſpeciatim in organiſmo mechanico operante, in ſpiritibus, animaque ſatis explicata putamus, quomodo accidant, & quid magnetici in ſe ferant, quod non comprehenſum à taliter appellantibus, iſta nomina inſurgere fecerunt, ne mutili ſimiles philoſophantes remanerent? Quid quæſo ſympathici, & inſtincti (iſtud apud opponentes, eſt proprium animalium viventium) habet tam magna copia rerum faſcinationes prohibens ſolùm geſtata? Quid in ſe, res mihi nota habet inſtincti, & ſympathetici, virulentiam reprobarum mulierum menſtruantium, quod impediat, ne iſtæ, dum in vinorum cellariis ingrediuntur, vina non lædant, vel ſupra arborem ſi aſcenderint, illam non areſcere faciant, vel per viridaria, & campos, ſi perambulent, vermes, campæ, & herbæ contactæ, non moriantur, uti ordinariè accidit, nil certè, niſi illud, quod magnes habet, & imprimit ferro, ſicuti ex notatæ rei colore manifeſtatur, nam dum alia præſervat, ſe ipſum lędit, & ſqualidum colorem acquirens, naturalem deponit.

Hinc ad clariorem rei explicationem, notandum eſt, adeſſe in aëre fluxum quemdam, & refluxum continuum, ſubtilium, & ſpirituoſarum portionum undique difflatarum, vulgò effluviorum, adeóque quamlibet particulam difflatam per eum vagantem, ad ſui ſymbolum ſi percutiat, ipſum movere, ac ad

operationem aliquam, impellere poſſe, ſin autem nunquam ſymbolum percuteret, nunquam etiam aliquam operationem promoveret, & nil aliud efficeret, præter fluxum, & refluxum vagationis, uſque dum propriam conformationem conſervat, eodem modo, ac in effluviis magnetis accidit, quæ niſi ad ſymbola, ſcilicet ferrum percuterent, præter fluxus, & refluxus circumgyrationis, diſperderentur, ac nullam operationem panderent.

Spiritoſa ergo portio iſta, in qua potiſſima, ratio huius magicæ ſcientiæ, naturaliter fundatur, ſive vocetur magnetiſmus, ſive balſamica, ſive mumialis, ſive quocumque alio nomine, ſemper intelligi debet, quòd ſit ſpiritoſa illa portio rectrix, conſervatrix, & dirigens quamlibet rem, & ad operandum promovens; ſpiritoſa pariter ſubſtantia iſta, eſt idem ille ſpiritus, à principio generationis implantatus in embrioniſmo cujuslibet rei (prolificus communiter, & vulgò iſte in animalibus dicitur) qui eumdem excitavit ad taliter vitaliter operandum, vel vegetandum, qui deinde ſpiritus diramatus, & extenſus in embrioniſmum ſolutum, ac novo conſimili ab extra aëreo advenienti mixtus, efficit ut novum mixtum genitum (ut cum vulgaribus vocabulis loquar) operatur, mediante ipſius adjutorio, & directione, ideóque tunc non ampliùs deinde ſpiritus prolificus vocetur, ſed vitalis, ab aliis verò mumialis, balſamicus, magneticus, vel ſympaticus, qui reverà, uti antecedenter diximus, ſpiritus director dici deberet, quia dirigit, materialiter gubernat, & conſervat mixta.

Sciendum pariter eſt, quòd ſpiritus hic, uti proportionaliter, juxta ſuam energiam, & conformationem, à principio generationis ipſi implantatam, tales operationes, in corporibus, in quibus ineſt promovet; ita à pari ſi aliunde alius novus extraneus in corporibus intrudatur, iſte juxta ſuam energiam habenas regiminis arripiens, novum operandi modum implantat in corporibus, in quibus intruſus eſt, in ſe tranſmutans antecedentem, uti clarè videre eſt in æquivocis generationibus, & in inſitionibus plantarum. Puca enim inſita, ſive virgultus ſuperpoſitus, & implantatus in ſtipite alicujus plantæ diverſæ à ſe ipſa, efficit ut dirigens ſpiritus ejus, ſibi appropriaus, & modificans ſuccum nutritium plantæ ſubjacentis, in ſui ſymbolum, & figuram, tranſmutet, prolemque ſive fructum ſui generis inſurgere, & promoveri faciat.

Nil mirum igitur, dum res narrato modo procedit, quòd non ſolùm impiantationes, & tranſplantationes morborum, & virium,

quo-

quotidie fieri videantur, verum etiam in viventibus morum; mediante ipſo eodem ſpiritu, quin imò in non-viventibus, ipſum idem efficit, uti in ferro allecto, vulgò animato à magnete, obſervatur, dum iſtud, uti magnes efficit, ad polos vertitur, & aliud ferrum allicit; namque ſpiritus cùm magis activus ſit in viventibus, quàm in quolibet alio mixto non vivente, magis intimè, & acutiùs in ipſis, eorumque affectionibus agere debet, quàm in quocumque alio.

Spiritus namque iſte pariter, dum à corpore morboſo hauritur, & in aliud ſanum intruditur, ad ſe ipſum appropriians, directionem corporis, in quo intruſus eſt, facit etiam non ſtatim, & in inſtanti, ſed paulatim, & ſucceſſivè, cum gubernatione ſubſequentium ſuccorum, & ſpirituum, in ſui ſymbolum pertranſire prolem, ſive operationes producere ſibi conformes.

Pariter facit per catenam communicantem, & continuatum effluvium nonnihil noviter modificatum, ab extra intruſo per fluxus, & refluxus in morboſo corpore, operationes mutari, atque in melius converti, eodem modo, ac magnes infirmatus, & languidus ad operandum redditus, poſtquàm vim energeticam ferro impertivit, dum ipſe deinde vapidus, & ſua vis, languida redditur, à ferro priùs ab ipſo allecto, reſtituitur, per communicationem iſtam fluxus, & refluxus, eodem etiam modo, ac novus alter vivax magnes efficeret? Quid admirationis ergo morbi afferre debent, ſi etiam per hanc viam, mutari videantur, ut inſpicere quotidie eſt, in philtris naturalibus, per quę, quem priùs non, vel vix cognoſcebatur, deinde cum amoris affectione erga illum principalem, unde fluxit ſpiritus philtri, dirigatur affectio philtrum paſſi, uti clarè videre eſt, in pane e. g. Subtus alas tui brachii foto, qui deinde cani ignoto exhibitus, canem facit, te intimè diligere, ac proſequi. Si ergo mores tranſmutat, uti incontroverſibile eſt, quid vetat è converſo, quòd magis, vires, & morbos naturaliter, tranſmutare poſſit, ſpiritus iſte, rector, vulgò mumialis vel magneticus.

Verùm ne hîc quis inficiatur, dicendo magnam diſparitatem, & differentiam adeſſe, inter exemplum plantæ inſitæ, & morbi tranſplantati, adeoque parem rationem non eſſe, nam virgultus inſitus, ſive puca implantata, integram, & immutatam, & ſuo vigore naturali plenam, relinquit plantam, unde hauſta eſt, abſque ulla affectione, quod cum ſpiritu tranſplantato corporum viventium, non obſervatur, dum in aliud animal, vel

mix-

mixtum intruditur, nam licèt ſubjectum, in quo implantatio facta eſt, recipiat alterationem, & mutationem, ſive morboſam, ſive virium fuerit, tamen principalis, unde fluxit ſpiritus implantatus, ut plurimùm mutationem ipſe etiam ſuſcipit, & ex morboſo ſanus fit, vel ex forti languidus, quomodo ergo hæc diverſitas cùm eodem modo operandi contingere poteſt.

Ad propoſitam difficultatem, clariſſimè reſpondetur dicendo, quòd ſpiritus mumialis rector (ſive cum effluviis difflantibus, ſive quocumque alio modo colligatur, nam ſemper conformationem energeticam principalis, à quo depromptus fuit, ideoque rectoris munus, participat) cujuſcumque rei, eſt pars ſpiritus illius univerſalis, ubique fluentis, & omnia percutientis, ſolùm differens portio hæc ſpiritoſa hujus, ab illa alia alterius mixti, quòd non eamdem conformationem, & texturam, adeoque activitatem æqualem, omnes habeant, ſed unus ab alio, cum diverſa configuratione, diverſum modum operandi, deferant, pro ut magis, & minus in qualitate, aut ſtrictum, forteque unitum, vulgò fixum, & ſolidum, vel magis laxum, apertum, & activum, hunc ſpiritoſum habent, eodem modo, ac mixta omnia, eadem individuali figura differunt, inter ſe. Hinc ſpiritus implantatus cum ſua energetica activitate non fixa, ſed laxus, & quodammodo apertus, retes operationum corporis, in quo intruſus eſt, arripiens, in expellendo, difflareque faciendo, ſpiritum antecedenter rectorem iſtius corporis, quodammodo ab expulſione, modificationem, & configurationem mutatam imprimat, ſecumque deferre facit, quæ neceſſariò reſpondere debet, eidem expulſori, qui per auras, dum cum ſpiritu univerſali vagatur, & fertur, quamvis plurima corpora feriat, vel expuitur ab ipſis, vel ſi cum reſpiratione hauriatur, ratione officii, & uſus reſpirationis, modificatur denuò, & antecedentes vires energeticas deperdit, vel ob prædictam novam modificationem, vel quia concatenationem, correſpondentiam, vel aliam energeticam vim regentem, exercere nequit, in paſſo non conformi: at dum percutit ad corpus, unde ipſius expulſor, implantatus fluxit, in percutiendo, ob illam talem novam habitam modificationem, ab implantato, tanquam amicus, & ſymbolus, facili negotio recipitur, & unitur, rectori hujus corporis, nil aut vix novam modificationem accipiens, ab ipſo in ſui receptione, unde fit, quòd in illo immediatè operari poſſit, ideoque gubernans, & dirigens corpus hoc, proportionatè ad ſuam ſymbolicam energiam, novam in

in eodem motionem tranſplantatoriam, & influxum, inferre valet, & cum hac differenti tranſplantata motione, ejuſdem variationem, & à morboſo in ſanum perducere poteſt; quod in infitione plantarum accidere nequit, quia cum ſucco nutritio à terra communicato, operationes promoventur, à rectore fiſſo, & ſtrictè unito, non ab effluviis ſpiritoſis, vel ab aëre hauſtis, dum per eumdem vagatur (mihi non latet plantas, aliquid etiam ab aëre habere, proportione reſpondens reſpiratio-ni viventium animalium) hinc eſt quòd corpora viventia, à quibus prima tranſplantatio facta eſt, ni tranſacto aliquo tempore, mixta in quibus implantatio facta fuit, emori curentur, iterum infectionis exacerbationem, vel maximum languorem patientur, non præcisè quia mixta in quibus implantatio facta eſt, indifferenter bonum, & malum hauriant, uti nonnulli forſan crederent, ſed ob catenam ſupra deſcriptam fluxus, & refluxus, ac reimplantationis ab implantato, in primo implantante, & eò magis, quod in dubio propoſito, nobis conſiderandum eſt, ſpiritus intruſos, non per omnem partem, & viam, per quam intruduntur, operari poſſe, nam hi dum per reſpirationem ingrediuntur in pulmones, ob modificationem, quam in iſta parte recipiunt, vim, & energiam propriam perdunt, quam non deperderent, dum cum cibo, aut potu in ventriculo intruduntur, vel per viam cutis, ſimilemque aliam partem effluunt.

At ſi quæratur cur in philtris amatoriis naturalibus, reimplantatio ſupradeſcripta non accidat, uti ferè in aliis communiter magicis operationibus viventium experitur. Reſpondemus quod ex eo quia ſolutio, abolitio, & curatio horum philtrorum dependet, & habetur, per fortificationem, ſive reimplantationem proprii ſpiritoſi effluvii, ejuſdem corporis, philtrum patientis; ideo non valet, in refluxu effluvium in corpore, ex quo philtrum depromptum eſt, affectionem aliquam facere, & eò magis quia, per actus imaginativæ, & voluntatis conſciæ, quæ implantationem philtri fecit, dum à corpore, implantationem paſſo, ſpiritoſi effluvii reliqui, in implantante corpore percutiunt, ab ipſius ſpiritu rectore reſpuuntur, corriguntur, & non permittitur eiſdem regimen corporis, quod primam implantationem fecit variare, & ad novum modum operandi dùcere, licet hoc inevitabile ſit, quod quamvis mores non mutent, à principio tamen vires in hac lucta refrangant; unde implantantes, à quibus philtra deſumpta fuere, languidi fiunt, & corpora implantationem paſſa, potiùs vividiora, & quandoque ita fortiora, ut potiùs furibunda, & delirantia

C apparcant

appareant, quàm ſimpliciter operantia, & hoc uti diximus, quia in aëre adeſt continuus fluxus, & refluxus particularum diſſlatarum, quæ per eum vagantes, dum ſui ſymbolum inveniunt, in ipſo novum motum adaugent, & in actu vigoroſiùs operativo ponunt, uti diximus in effluviis magnetis contingere ſolere, quæ deinde ferrum, in quo operantur, in vagando percutiunt, in ipſo vim, & energiam promovent, aliàs (uti accidit, dum alia diverſa à ferro corpora, hæc effluvia magnetica percutiunt) diſperderentur, nullamque operationem promoverent propriam magnetis. At ut hoc, quod dictum eſt, quod etiam multum facit ad rationem, & intelligentiam modi operandi hujus ſcientiæ, & quod dicturi erimus, magis latè pateat, non mihi diſplicet afferre, & examinare nonnullas res, in ſequentibus capitulis, quæ licet notoriæ, & ordinariæ ſint, tamen neque magicæ conſideratæ fuerunt, neque exploratę, & deſcriptæ ab ullo quomodo accidant.

CAPUT III.

Quomodo inſitiones variæ Plantarum accidant, & procedant.

PErſpicua omnibus eſt metamorphoſis plantarum, quæ quamvis magica ſit, quia vix à tot millenis hominum philoſophantium, tantiſque ſeculis, minimè animadverſum fuit, ideo magia, ejuſque ſcientifica cognitio, ſub tenebris ſepulta remanſit, & perfectè, ac notoriè hodie, non explanata reperitur, quare nos, ne à ruſticis confundamur, per praxim ipſi multa admirabilia, & vix intelligibilia facientes, hunc laborem nunc tentantes, tritam ac ſolidam regulam proſequentes, nempè in arduis, & difficillimis rebus, à nonnullis facilioribus, & magis intelligibilibus eſſe incipiendum, ab hac metamorphoſi, ſcilicet ab inſitionibus, & omni alia plantarum tranſmutatione, initium faciemus, pro ſtabiliendo noſtro opere, nam ex his, miſteria naturæ magicæ, dum patebunt, introitus apertus deinde dabitur ad reliqua, ac deſervient tanquam lux meridiana incontrovertibilis cinoſuræ.

Supra igitur ſylveſtres plantas ejuſdem ſpeciei, vel difformis, plan-

plantas bonas, & domeſticas inſeri, quotidie obſervatur, ac bonos fructus multò meliores, quàm in ſylveſtribus facere, & è contra inſitio ſylveſtris plantæ, ſupra ejuſdem ſpeciei domeſticam, & fructum deterioratum, ac malum facere, ambas tamen inſitiones, fructum facere correſpondentem pucæ, ſive virgulto ſuperimpoſito trunco inſito, non obſtante quod ſuccus nutritius à terra receptus per truncum inferiorem diverſum, ejuſque fibras quodammodo elaboratus pro fructificatione ſit ſubminiſtratus. Adhuc multæ plantæ inſeruntur, ſupra truncos diverſæ ſpeciei, & fructum pariter dant, ſuperiori inſito correſpondentem, immò magis ſupra eumdem truncum, plures virgulti diverſæ ſpeciei multoties inſeruntur, quia in diverſis ramis, diverſos fructus faciunt, quin immò idem numero fructus in diverſis particulis ipſius diverſos ſapores, acidi, dulcis, acididulcis, ponticitatis, & ſimilis habere, ex quibus diverſi fructus producuntur, ſemper ſapore correſpondentes ſuperiori pucæ, ſive virgulto inſito, quod quomodo accidat, breviter adumbratis plantarum nutritionibus, earumque fructificationibus, explicatum remanebit.

Plantæ nutriuntur parum differenter, ac animalia viventia; per adventum novi ſucci nutritii, quem à terra recipiunt, ob impulſum, & circumpulſionem, ab aërea atmoſphera habitam: hæc namque terram premens, & gravans, efficit, ut ſuccus terræ humificus, in poroſis cavitatibus radicum plantarum irruat, & hinc per fibroſas partes, poſt partes, ſemper nova preſſione, & auxilio fibrarum tranſverſarum, valvularum munus facientium, uſque ad acumina plantarum aſcendat: & hinc eſt quod tempore lunę creſcentis, quia atmoſphæra magis gravitat, & premit, nam compactior tunc temporis eſt, ideo plantas creſcere obſervatur, magis quàm tempore decreſcentiæ lunæ, in qua atmoſphæra quia fluidior, magiſque laxa eſt, minùs gravando, & premendo, minorem quantitatem ſucci nutritii humifici dat, quod totum accidit, ob elongationem, vel approximationem lunæ, & hinc magis, vel minùs, preſſione gravantis.

In iſta ergo operatione, tria principalia puncta advertenda dicimus, & primum ſuccum terræ humificum, non eodem modo ferri, per plantarum fibras, ac recipitur à terra, ſed modificatione adaptari proportionaliter, ut aſcendere poſſit, nam alioquin, quia ſuccus terre idem eſt, & unus, qui ſubminiſtratur omnibùs plantis, ſequeretur quòd conformatio fibrarum omni-

 um

um plantarum, eſſet uniformis in una, ac in aliis plantis, etiam diverſæ ſpeciei, quod repugnat veritati. Modificationem autem iſtam accidere putamus, ſucco humifico terræ ſubminiſtrato, eodem modo, vel parum differenti, ac accidit filo æneo, vel alius metalli, dum pertranſit per orificium aliquod anguſtum, vi, & coactè tranſmiſſo, qui figuram mutaret, ac modificatus remaneret, proportione reſpondens orificio, per quod pertranſivit, nempè rotundus, ſi rotundum orificium, triangularis, vel quatrangularis, ſi triangulare, vel quatrangulare fuerit; quamvis negare non intendimus in iſta modificatione nonnihil etiam accidere illius, quod accidit in pulmonibus viventium, ob reſpirationem, ſcilicet ſeparationis, aut purificationis.

Hinc ab ingreſſu in plantis compactiorem, & ſpiſſiorem iſtum ſuccum humificum terræ, neceſſe eſt evadere magis, quàm antea erat in ipſa terra, nam ſalinitroſam naturam deferens, & vi impulſus à preſſione, portio magis fluida ſubterfugit, & quæ remanet, ac inferitur, ſpiſſior, & compactior neceſſariò evadet, quamvis ſpoliata terreis impuritatibus aliis, præter ſalinis, ut hoc modo facillimè modificationem, configurationemque recipiat.

Tandem ad hanc modificationem, & impulſionem verſùs partem ſuperiorem facilitandam, neceſſe eſt, ut retro poroſas vacuitates, & in fibris aliquid adſit, quod vicem valvularum vaſorum corporum viventium ſuppleat, uti ſuperiùs tactum eſt, & impedimento ſit, ne iterum prolabatur, & foras in terram, exeat ſuccus jam ingreſſus. Reliqua quæ in nutritione plantarum accidunt, nempè an perfectè, & continuè, hic ſuccus circulet per plantas, an verò ſola illa portio (quod probabiliter videtur) quæ ſubterfugit ab alligatione nutrifica, dum pertranſit, ut aſſimiletur; an hoc quod refluit, & quodammodo in girum fertur, novam depurationem modificationemque recipiat, uti accidit in animalibus viventibus, quod non ita exactè accidere, facili negotio credimus, & multa alia phænomena curioſa, quæ in hac materia proponi poſſunt, quia ad hoc noſtrum opus, parum pertinent, libenter aliis relinquimus examinanda.

Tali modo breviter adumbrata nutritione plantarum, nunc dicimus metamorphoſes allegatas accidere, quia dum ſuccus nutritius plantarum pervenit ad locum inſitionis, ſive ineſtationis, ac implantationis (inſitio iſta eodem modo ſe habet in trunco, ac ſi implantatio virgulti facta eſſet in terra) ibi iterum

rum, ac de novo modificatur, conformaturque, uti in ſuperiorem inſitam pucam, ſive virgultum diſpoſitio eſt, ut ingredi, & aſcendere poſſit: ſuperimpoſita inſitio namque non directis uniformibus, & in lineam rectam, continuatis fibris procedit, cum illis trunci, ſed differenter, & hinc notatam novam neceſſariò configurationem correſpondentem poris, & fibris virgulti, recipere ſuccus nutritius debet, ut aſcendere poſſit, & vegetativè operari: iſta ergo nova configuratio eſt illa, quæ efficit deinde, ut proportionatè ad figurantem, & modificantem operetur idem ſuccus nutritius ingreſſus, nullam ampliùs prefeferens energiam ſubjecti trunci, adeoque & nutritionem, ac fructificationem faciat, proportionatè ad iſtam ſecundam configurationem correſpondentem, quæ ejuſdem energię, & conformationis eſt, ac ſunt fibræ plantæ illius, unde deprompta eſt puca, ſive virgultus, hincque operatur, ac ſi in principali planta eſſet, adhuc virgultus, producens neceſſariò eodem modo, & forma, folia, flores & fructus, uti efficit planta ipſius principalis, unde dem ptus fuit, quamvis primò intuitu, non appareat iſta correſpondentia, & in diſtans, ut ita dicam, operari, proportione reſpondens principali plantę, unde puca deprompta fuit, videatur.

Quid ergo admirationem movere poteſt, in mente hominum philoſophantium, ac de ſuperſtitione, vel ſatana dubitare, dum has metamorphoſes plantarum vident, niſi ignorantia, & tenebræ, quæ ipſos obcæcatos tenuerunt, ne tradita conſideraſſent: certè ſi ſolùm advertiſſent, inſitiones plantarum eſſe, ac ſi virgulti, in terra implantati eſſent, loco truncorum, atque uti in variis ſpeciebus, & conditionibus terræ, diverſiſque culturis, variant eædem res, in magnitudine, ſapore, colore, odore, & aliis energeticis viribus, ita pariter ſupra truncos fieri poſſent, non ſolùm traditæ metamorphoſes, & illæ unius numero fructus in diverſis ſuis partibus, diverſorum ſaporum, & odorum, quęque eveniunt eodem modo ac ſuperiùs explicatum fuit, tantum hoc addendo, ut ſupra eumdem truncum, plures diverſæ pucæ implantentur, fortiter alligentur, & uniantur, ut in unum corpus deinde unitæ, in unum virgultum creſcant, & fructificent, ac ſi una puca implantata eſſet: quin immò multæ aliæ, abſque ſuperſtitione & ſatana, fieri poſſent naturaliter, at non abſque magia uniente, adaptante, & configurante corpora, diverſimodè, ac ordinariè naſcuntur, ob quas diſpoſitiones, deinde operari facit, extraordinariè, & cum admiratione, in variis inſitionibus, diverſimodè factis, quę revera operationes, ſunt magiæ natu-

C 3 ralis,

ralis, uti ex ſubſequentibus adhuc, & adhuc ſemper clarè videbitur, dum in viventibus, ratione nobilioris indolis, hę operationes portentoſiùs accidunt, & cum majori ſuſpicione indoctorum.

CAPUT IV.

Quomodo generationes viventium Æquivocæ accidant.

Generatio æquivoca, quæ ſimiliter magica dici debet, e. g. muli, aut aliorum omnium animalium extraordinariorum, fit pariter eodem modo, ac omnes aliæ generationes ordinariæ viventium accidunt, ſed ſolùm variationem aliquam habent, in excitatione embrioniſmi, quare ut hoc aſſertum, clarè pateat, transferam hic, quæ tradidimus uſque ab anno 1697. in noſtra lucubratione, de viventium operationibus in qua tradidimus, quod dum ſpiritus prolificus à patre cum ſpermate immittitur, in utero matris, ſtatim iſte, virtute ſua plaſtica inſeritur, & fluit, uſque ad ovarium, & ovum quod percutit, fæcundat, ſcilicet intruditur in ipſo, dimovet, ſolvit ab obdormitione, & quiete in qua manebat, ac in operativa actione ponit, nempè efficit, ut ab affluxu ſpiritus prolifici, fibræ embrioniſmi, quæ in una maſſa compactæ manebant, dilatentur, ac operari incipiant, mediante coadjutorio iſtius ſpiritus prolifici, jam ingreſſi, & dilatati inter eaſdem fibras. Taliter ergo excitato embrioniſmo, aliquid arripiens à ſucco nutritio, & à ſpiritibus matris, qui illic affluunt, operativam actionem adauget, ac augendo, ſemper novam vim operativam acquirendo, vegetabilem auctionem, primò expandit, deinde progreſſu temporis, vivificam ſenſitivam.

In iſta ergo ordinaria generatione, duo præcipuè notantur, nempè activitas ſpirituum prolificorum, qui poſtquàm in ovo inſerti fuerint, deinde operantes evadunt, & tunc non ampliùs prolifici, at vitales, aut naturales appellantur. Alterum quod notatur eſt, ſtructura, ſive conformatio embrioniſmi in ovo exiſtentis, cui auctio ut detur, nutrimentum à matre ſuggeſtum, uniri, & alligatione aſſimilari debet, & iſta duo, tanquam par-

tes

tes eſſentiales; generationem complentia conſiderantur; nam prout promptiùs, ad invicem agere incipient, ita generationis initium citius fit, & uti fuerint reſpectivè in majori, vel minori robore, ita fœtus patri, vel matri aſſimilabitur.

Nunc ad generationem æquivocam e. g. muli dicimus, quod dum ab aſello cum ſpermate, ſpiritus prolificus ejaculatur in utero equæ, ſtatim ſeparatur iſte ſpiritus, & fluendo dilatatur uſque ad ovarium, in quo dum ovum aliquod percutit, in ipſo agere incipit, ſcilicet à quiete, & obdormitione ſolvit, atque embrioniſmum ipſius, dilatari incipere facit, ac in iſta dilatandi motione, ſibi uniendo ſpiritoſum, & humificum nutrimentum, à matre equa ſuggeſtum, incipit initiari auctio, non uniformis patri, à quo ſpiritus prolificus excitans fluxit, neque matri, quæ cum ovo embrioniſmum ſubminiſtrat, nam uniformis configurationis non ſunt, at unitertia auctio, ſcilicet mixta ex agente conformatione ſpiritus patris, & embrioniſmalis materiæ, à matre habitæ cum ovo; nam ſpiritus prolifici deinde, qui directores, poſtquàm excitatores ad operandum, evadunt, quærunt ſibi ipſis aſſimilare fœtum educendum, & è contra delineatio embrioniſmi, cui alligari debet, materia pro auctione, quia tanquam pars ſolida ſe habet, ac differentis conformationis eſt à ſpiritu prolifico, nam animalia duarum ſpecierum ſunt, iſta pariter delineatio, quærens ſibi aſſimilare fœturam, fit ut tertia ſpecies eveniat, quodammodo participans utraque, matris, & patris, ideſt conformationis ſpiritus prolifici, & embrioniſmi materni.

Ex traditis nunc, facile eſt explicatu, cur in energia, & activitate generatio equivoca, magis aſſimiletur patri, quàm matri, & è contra in corporeitatis conformatione, & mole, magis matri, quàm patri, nam energia, & activitas (notetur hoc pro magia) à ſubſtantia ſpiritoſa habetur, quæ correſpondet propriè ſpiritui prolifico à patre ſuggeſto, deinde operanti reddito; corporeitas, & moles verò ab embrioniſmo cum ovo à matre habito, cui correſpondere, & aſſimilari debet. Hinc concludimus, uti in antecedenti capite tactum eſt, quòd pro ut res recipientes nutrimentum, diſpoſitæ fuerint, & modificabunt, ita fœturæ evenient, ſive ordinariæ, ſive æquivocæ fuerint.

CAPUT V.

Quomodo variatio Fœtuum à propria ſpecie, per nutrimentum habeatur.

MUltoties poſt natos ordinarios fœtus, ob nutrimentum, quod eis ſubminiſtratur, à propria ſpecie, quodammodo declinant, & elongantur, energiam, activitatem, ac etiam externam corporeitatis figuram mutando: Ita agno ovino evenit, ſi lactetur à capra, nam activitatem, & lanam variatas habebit à propria ſpecie; Et è contra capræ hædus, ſi ab ove lactetur: ita pariter ſi felis, vel lupus lactentur à cane, clarè & pilaginis, & activitatis energeticæ variatio, ab aliis ſuæ ſpeciei obſervabitur: imò magis in eadem ſpecie, ſi propria mater mutetur, & alia ſubſtituatur ad lactandum, energetica activitas, & corporis externa configuratio, ſemper mutationem aliquam accipient, uti quotidie obſervare eſt in fœtibus humanis, qui ab alienis à matre nutricibus, lactati, capillos, carnium colorem, & non raró molem, ac animi mores recipiendo, à propria matre elongantur, ac nutricibus approximantur. Hoc itidem in oviparis animalibus, novum non eſt, per ſolam incubationem accidere, ita ſi ovum columbinum, ſubtus gallinam incubetur, vel è contra ovum gallinaceum ſubtus columbam, patens elongatio variationis à matre, videbitur, uti in omnibus aliis oviparis animalibus, neceſſariò accidit, quæ omnia ſimileſque aliæ multæ metamorphoſes, quia pariter magicę, ſive occultioris ſcientiæ in eorum exploratu ſunt, ideo ut ad opus noſtrum, ex omni parte, lumen detur, ad ipſa exploranda, deſcendimus.

Et unà dicimus, uti in duobus antecedentibus capitulis, traditum eſt, quod pro ut nutrimentum, configuratione modificatur, & ſpiritus dirigens in unione aſſimilat, partibus nutriendis, & augendis,ita proportionatè, energia, & corporeitatis figura evenient: in agno namque à capra nutrito, quia cum lacte capræ, ob ſpiritoſam ſubſtantiam in lacte deliteſcentem, ſubſtantia ſpiritoſa operans agni, quodammodo vitiatur, in ſua configurationis conformatione, & paulatim, ac ſucceſſivè ad configura-

gurationem correſpondentem, ſubſtantiç ſpiritoſç capſç trahitur, nam quçlibet cauſa quçrit aſſimilare ſibi paſſum, hinc ſubſtantia ſpiritoſa in lacte capræ ſuperveniens, aſſimilare ſibi quærens ope-rationes paſſi, ideſt agni, cui ſuperimponitur, ideò configura-tio pili lanifici, corporeitas agni, & nonnihil energia eius, po-ſtea imitabunt operationes caprç, & quodammodo corporatu-ram, tanquam illæ, quæ dependent in executione, à ſubſtan-tia conformata, ad ſimilitudinem ſubſtantiæ operantis capræ: nam hoc pro certo tenere debemus, quòd illud, quod ſuperimpo-nitur, ſit illud quod dirigit poſt modificationem, juxta ſuam e-nergiam, & conformationem, nutrititium ſuccum augentem, cum aſſimilatione, uti clarè demonſtratum putamus, in capitulo inſitio-nis plantarum, in puca, ſive virgulto ſuperimpoſito, & implantato.

Quod autem in eadem ſpecie, per ſolam lactis mutationem, accidit, patet evenire debere, à ſubſtantia ſpiritoſa deliteſcente, in lacte nutricis, nam ſi ab hoc non eveniret, neutiquam ani-mi mores, fœtus educati, nutrici correſpondentes explicari poſ-ſent, quomodo acciderent, nam iſti per ſubſtantiam ſpiritoſam exercentur, uti nonnulli morbi, prçſertim epilepſiç, hypochon-driacç affectiones, & ſimiles pariter in ſubſtantiâ ſpiritoſa, ma-lè affecta fundati; qui dum à nutrice cum lacte communicati, & adinſtar hæreditariorum implantati fuerunt in fœtu lacte nutri-to, nunquam certè benè explicari poterunt, niſi ſuperiorem opi-nionem proſequamur. Subſtantia námque ſpiritoſa nutricis, pro-ut fuerit conformata, ita pedetentim ſpiritoſam in fœtu operan-tem vivificando, & refocillando, diriget in operationibus, quod adhuc clarius patet, in ovo incubato, ab animali oviparo di-verſæ ſpeciei, quod efficit, ut pullus excludendus mutatus eve-niat in ſua corporatura, incubans enim, niſi cum calore efflu-vium aliquod ſpiritoſæ ſubſtantiæ tribuat, non habet quid dare.

Ex traditis nunc iſtis ultimis capitulis tribus, patet ſubſtantiam ſpiritoſam, eſſe potiſſimam illam, quæ ſuperveniens huic, vel illi corpori, prout illud diſpoſitum invenit, ita ipſum diriget, dando eidem talem modificationem, & energiam, ut taliter operari efficiat, cùm per iſtam operationes, auctificamque ve-getationem promovendo, ſemper quærit ſibi aſſimilare ſubſtan-tiam, quæ ei obviam venit, ſuggeſtam à corpore ubi implantata eſt, cum tranſmutatione, & configuratione, quò poſſibile fue-rit, proportionatè ad ſuam energiam. In plantis verò, in qui-bus rigorosè ſpiritoſam ſubſtantiam adeſſe, credibile non eſt, loco hujus, particulas alinitrovolatiles, tenendum eſt efficere idem,

D ac

ac efficeret, ſubſtantia ſpiritoſa, nam iſtæ ſunt, quæ energiam plantarum repręſentant, cùm genericè tenendum ſit, operationes magicas dirigi, & gubernari à ſubſtantia ſpiritoſa, vel ipſi analoga, tam in notatis metamorphoſibus, quàm in omni alia operatione, & hoc tanquam fundamentum ſolidùm remanere debet, pro opere magico, ad quod proximiùs ut accedamus, cùm ſequenti fundamentali capitulo, principium damus.

CAPUT. VI.

Tradens axiomata, & corollaria Opus hoc dilucidantia.

Ntequàm ulteriùs ad opus magicum procedamus, ex huc uſque traditis, danda ſunt aliquot corollaria, tanquam axiomata, quæ ut canones, regulæ, & rationes deſervient, ad intelligentiam, non ſolùm illius totius, quod in hoc opuſculo traditur, ſed pro cognitione *cujuslibet rei magicæ inventæ, aut inveniendæ.* Unde ſit.

1. *Quia omnia, quæ in mundo ſunt, participant de ſpiritu univerſali, ſaltem per hoc apta ſunt, aliquam correſpondentiam, inter ſe habere; adeòque in aliquibus operationibus convenire.*

2. *Si ſpiritoſa portio hæc, per quam in viventibus, & non viventibus mixtis, operationes omnes exercentur, ac energiæ manifeſtantur, fulgiatur, & exaltetur ab oppreſſione craſſæ materiæ, quamplurimæ magicæ operationes fieri poterunt.*

3. *Quò magis eſt exaltata hæc ſpiritoſa portio, eò magis operationes magicæ fiunt, & promptiùs, uti è contra, quò craſſa materia prævalet, eò minùs operationes magicæ promoveri poſſunt.*

4. *Negandum tamen non eſt, quandoque per ſimplicem conformentationem, aut allectionem, abſque eo quod corporeitas, ſive craſſa materia nullatenus mutetur, vis ſeminalis, poteſt fortificari, & magna per illam fieri.*

5. *Cùm fortificatur, & augetur hoc ſpiritoſum in ſeminibus, proportionatè ad fortificationem, poſſunt ſemina fructificare magis, ac breviſſimo tempore, multò magis, quàm ordinariè efficiunt, idem efficere.*

6 Si debilitetur in ſeminibus hoc ſpiritoſum, ſemina perduntur, non fructificabunt, & peribunt.

7 Non ſolùm per fortificationem ſpiritoſi ſeminum, ſive ſymbolici eorumdem, fructificatio abbreviari poteſt, quin immò, ſi ab univerſali illo vagante, in fortificatione magna quantitas accipiatur, & addatur, poſſunt ſtatim infra pauciſſimum tempus, & extra proprias matrices fructificare.

8 Fortificant corpora, & ſemina, quæ eadem florida, & ſpiritoſa reddunt.

9 Quæ corpora, & ſemina florida, ac ſpiritoſa reddunt, propriam eorumdem Subſtantiam ſpiritoſam adaugent, in numero, & quantitate, ſed non multum ſubtilizent, agilioriſque activitatis reddant.

10 Quæ in corporibus, & ſeminibus multum ſubtilizant, agilioremque in activitate reddunt, notatam ſubſtantiam ſpiritoſam, facilè mixta illa, in quibus intruduntur, deperdunt, & corrumpunt.

11 Dum corpora, & ſemina corrumpuntur, ſi ſpiritoſa eorum portio conſervetur, & deperdi non fiat, minimè perit ipſorum energia, quin immò fortificatur, & augetur.

12 Quæ computreſcunt, augumentum in ſubſtantia ſpiritoſa acquirunt à ſpiritu univerſali, quod augumentum ſi conſervetur, energiam in ipſis adauget, ſi verò deperdatur, interitum rerum cauſabit.

13 Ideò fortificatur ſubſtantia ſpiritoſa corporum, & ſeminum, à ſpiritu univerſali, quia ſymboleitatem inter ſe habent.

14 Ubi ſymboleitas adeſt, facilè unio habetur, propter catenam correſpondentiæ.

15 Inter ſymbola, & ſimilia, facile eſt commercium, & unio, etiamſi extrinſecè agant. e. g. lapis perfectè planus, & levigatus, ſi alio conſimili ſuperponatur, temporis ſpatio unitur, & alligatur in unum corpus.

16 Omnia ejuſdem ſpeciei ſe invicem conſentiunt, alliciuntur, uniuntur, & fortificantur; per conſenſum ſpiritoſum, quod habent.

17 *Omnia quæ diverſæ ſpeciei ſunt, facilè diſsentiunt, ſeparantur, & non facilè uniuntur.*

18 *Ex diſſenſu, & conſenſu, naſcuntur antipatia, & ſympatia, principia, & radices magnetiſmi.*

19 *Dilatatio, aut conſtrictio fiunt, ob conſenſum, aut diſsenſum in organis viventium.*

20 *Senſationes omnes, quæ in animo deferuntur, quia cum dilatatione, & conſenſu, vel cum conſtrictione, & diſsenſu fiunt, nam vel conſentit ut recipiat, vel diſſentit, & conſtringitur, ut reſiſtat, & reſpuat, ideò in animo ſympatiæ, & antipatiæ neceſſariò adeſſe debent, adeóque magnetiſmi radices etiam ſtabiliri.*

21 *Quia in animatis, & mixtis non animatis, conſenſus, & dilatationes, vel diſſenſus, & conſtrictiones, cauſæ ſunt promotrices operationum, ideò in omnibus ſympatiæ, & antipátiæ erunt principium promotionis operationum.*

22 *Ex eo quia mundus integratur totus ex animatis, & inanimatis, ſympatias, & antipatias patientibus, hinc naſcitur eſſe unum aggregatum magnetiſmi ſympatiarum, & antipatiarum.*

23 *Sympatia nihil aliud eſt, niſi quædam mutua conſenſio inter res phyſicas, quæ ſe amicè amplectuntur, ſive mutua compaſſio, ſive concordantia, ſive convenientia, conſenſus, cognatio, benevolentia, nexus, aut continuatio, quâ res, ſe mutuò diligunt.*

24 *Antipatia eſt quædam rerum mutua paſſio, ſive affectio, quâ ſe adverſantur, ſive continuata ad invicem diſcordia, & pugnantia ſive diſſidium, ſive diſsenſus, ſimultas, inimicitia, ſive, & meliùs mutua actio, & reſiſtentia unius, in aliam rem, ob vires, & facultates infeſtas, & contrarias, quas poſſidènt.*

25 *Qui conſenſum, diſſenſumque intrinſecum rerum noſcit, hic verus philoſophus, magúsque naturalis eſt, atque poteſt iſtis mediantibus, admiranda producere, vix aliis perceptibilia.*

26 *Ex antipatia, & diſsenſione naſcitur reſiſtentia; ex ſympatia, & conſenſu, deductio, & allectio, vulgò tractio evenit.*

27 *Quia magiæ naturalis proprium eſt, cognitio, & exploratio facultatum, & virium energeticarum occultarum, in majeſtate naturæ, qui iſtas noſcit, & rectè gubernat, poteſt facere, abſque ulla alia re, vel ſatannica,*

ſatannica, vel quolibet alio modo extra naturam, omnia quæ vult ſive in bono, ſive in malo.

28 *Quia in omnibus, & cunctis rebus univerſi, adeſt congenita quædam proprietas conſortii, aut diſſidii, qua mediante, citra ullum viſibilem contactum, mutuò alterantur, & afficiuntur, ideò in mundo, omnia mixta, quæ ſe habent ut partes hujus magni aggregati, continuò participant de magnetiſmo, & agere poſſunt, immò agunt multas res, abſque viſibili nobis contactu.*

29 *Uti in homine, cæteriſque viventibus brutis, regimen partium dependet à regimine illo individuali totius corporis unà ſimul regente, ita in mundo, regimen partium ipſius, ſcilicet mixtorum integrantium ipſum, pendere debet, à regimine univerſali, ſcilicet anima mundi, in qua concordant omnia, ac in ipſa, ſe mutuò diligunt.*

30 *Nil mirum ſi multa, quæ ſupernaturaliter fiunt, per iſtud univerſale, in quo conveniunt omnia naturalia, ad modum operativum rerum purè naturalium fiant.*

31 *Nil mirum pariter, ſi multæ operationes purè naturales fiant, & extendant, activitatem propriam, uti efficere ſolent ſupernaturales: ita namque eodem modo fiunt Extaſes naturales, & ſupernaturales, ac extendunt contemplativam activitatem, ad milliaria millium, ac cùm redeunt Extaſizantes in ſe, gaudent, aut contriſtantur in contemplationibus habitis.*

Ultimò tandem concludendum, naturales actiones materiales in diſtans apparenter remotiſſimum, non fieri ſine contactu, quod eſt proprium activitatis materiæ, ſed ſemper, per contactum, inviſibiliter tamen agens in atmoſphæra ſua, licèt remotiſſimè extenſa, ac dilatata.

Si ergo quammaxima portenta naturaliter haberi poſſunt, ut quid in hac ſcientia non laborant, ſed ſtulteſcunt homines, & ad ſatannicas vanas, & impoſtorias res confugiunt, ut potiùs, ſe ipſos perdant, quàm aliquid acquirant, certè alia ratio addu-ci minimè poteſt, niſi quia in animo ipſorum regnat ſuperbia, & vanitas, ac cum vanitate, ambitio poſſidendi, & ſapientes evadendi, (promiſſa ſatannica facta primis Parentibus, *eritis ſicut Dii*) abſque labore, & ſudore. Verum ne dicant, quomodo in tenebris, & ſcientia iſta tam obſcura, laborare, ac incedere

 poſſumus,

poſſumus, abſque duce, & lumine, ad ſequens caput tanquam directorium, deſcendimus.

CAPUT VII.

Operis introductio proxima, Fundamenta tradens.

AD hoc caput difficillimum, obſtruſumque clarè enucleandum, nonnulla alia univerſalia, tanquam baſes, & fundamenta, ſubjungimus, & quamvis pauciſſimis verbis, ſimpliciter aphoriſticis, me expedire poſſem, abſque eo, quòd nihil hujus ſcientiȩ relinquerem, tamen ne difficilioris perceptionis, evadat, relicta hac brevitate poſt poſitionem ſententiarum, aliud caput dilucidans, explicans, & probans, quod poſitum eſt; addemus, nullimodè parcentes proprio labori; ut iſta deſervire poſſint, tanquam lux matutina ad opus, completum reddendum.

Principiò, adeſt in mundo, aliquid commune omnibus mixtis in quo ipſa permanent, & à quo continuò afficiuntur, ac percutiuntur, quod cum communi vocabulo, animam mundi dicimus, eſtque quid ſubtiliſſimum fluidum; vulgò ſpiritoſum dirigens operationes omnes, quæ manifeſtantur, & fiunt in eodem mundo.

2 *Hoc commune omnibus, & ſpiritoſum, non eſt indiviſibile unum corpus ſimplex, ſed aggregatum variarum particularum, figuræ diverſæ, quarum portio, in quolibet mixto unita, in eodem agglomerata manet, juxta exigentiam ipſiusmet mixti.*

3 *Particulæ hujus ſpiritoſi, quamvis diverſimodè figuratæ, dum in compaſſiva unione colliguntur in aliquo mixto, uniformiter deinde in poſterum operabuntur.*

4 *Particulæ hujus communis omnibus, ſunt corporeæ materiales, licèt exiliſſimæ, & tantùm in intellectu ſenſibiles, unde eſt, quòd meruerunt communiter ſpiritus nuncupari.*

5 *Particulæ hujus ſpiritoſi præ earum exilitate, & miniminitate quolibet alio corpore mixto, proximiores ſunt animæ intellectuali; quæ eſt verus ſpiritus immortalis immaterialis, humanis corporibus præſidens, & gubernans.*

6 *Hoc ſpiritoſum cùm primò ſeparatur à tota maſſa communi omnibus;*

bus, & mixta ingreditur, aliquam novam configurationem, & adaptationem recipit, proportionatam exigentiæ eorumdem mixtorum, per quam hujus, & non illius mixti, ſpecificatur in operationibus, quas promovet, ac ſpiritus deinde mixtorum vocantur, & cùm feruntur extra mixta, uſque dum ipſam configurationem, quam in illis habuerunt non amiſerint; operationes ſimiles, quas in ſuis principalibus exercebant, etiam promovere poterunt.

7 *Hoc ſpiritoſum, non ſolùm in mixtis cùm in ipſis adeſt, ſed etiam extra ipſa, dum propagatur, aptum eſt operari uniformiter, ac operabatur dum in mixtis erat, ſaltem per aliquod tempus, uſque quò conformationem non amiſerit.*

8 *Anima intellectualis immortalis immaterialis cum hoc ſpiritoſo, tanquam per inſtrumentum, in hominibus operationes ſuas ſenſibiles exercet, & ſe manifeſtat.*

9 *Quia anima intellectualis abſtractivè intuens, poteſt in inſtanti, in longiſſimum ſpatium extendi, dilatari ac percipere, ideò per hanc ſuam energiam, cum ejus inſufflatione, poteſt etiam hoc ſpiritoſum dirigere, & extendere ad operandum remotiſſimè, ferè eodem modo, & proportionaliter, ac operabatur in homine, unde fluxit, vel uti radii Solares fluunt, ac operantur in terra, à ſe remotiſſima.*

10 *Ab omni mixto ſucceſſivè, & continuò hæc ſpiritoſa ſubſtantia, ſub forma effluvii ſive radiorum difflantium fluit, & alia nova ad eadem mixta percuſſione affluit, unde novæ deinde generationes, & destructiones fieri ex hoc affluxu, & refluxu, neceſſe eſt.*

11 *Quia adeſt in fluiditate aëris continua circumpulſio, ſive fluxus, & & renixus refluxus particularum ſpirituoſarum, ab omni ſpecie mixtorum difflatarum, proprias ſuas configurationes gerentium, ideò facilè eſt ad talia mixta, tales particulas alienas, vel proprias percutere poſſe, & in eisdem alterationem inducere, dum intrudun- tur.*

12 *Portio harum ſpirituoſarum particularum, non ſolùm adeſt in ſoliditate mixti uniti, verùm etiam in excrementis, & ſuccis ejuſdem mixti, energeticam vim, configurationem, & operandi poteſtatem retinens, proportionatè, ac in ipſo mixto operationes promovebat.*

13 *Dum*

13 *Dum ſeparantur ſucci, & excrementa à mixtis, remanent in eiſdem, portiones particularum ſpirituoſarum, inter quas, & alias in toto remanſas, uſque dum configuratio, quam in mixtis habebant, non deſtruitur, obſervatur concatenatio, & commercium queddam energeticæ correſpondentiæ, etiamſi longiſſimè ſeparatæ manerent.*

14 *Non ſolùm inter mixta, excrementa, & ſuccos, per concatenationem correſpondentiæ, per quam conſervantur inter ſe unita in operationibus, mediante hoc ſpiritoſo obſervantur variæ operationes, verùm mediantibus eiſdem ſpiritoſis particulis, tam ſejunctis, ac ſolis, quàm unitis cum excrementis, vel ſuccis, eaſdem operationes in aliis mixtis, in quibus inferuntur, promovere poſſunt.*

15 *Læſo hoc ſpiritoſo in una parte mixti, compatiuntur eadem morbifica læſione, reliquæ particulæ ſpiritoſæ totius mixti.*

16 *Si ſpirituoſa portio iſta in aliqua parte fuerit fortificata, & in vigore adducta etiam in cæteris partibus mixti, vim, energiam, ac poteſtatem eamdem acquiret.*

17 *Ubi hoc ſpiritoſum eſt magis nudum, laxum, & non ſtrictè alligatum; ibi citiùs affici poteſt, & mutationem ſubire.*

18 *In excrementis, & ſuccis hoc ſpiritoſum; non eſt tam ſtrictè alligatum, & immerſum, quàm in reliquis partibus mixti, ideóque faciliùs, & mutationem recipere aptum eſt, & aliter affici.*

19 *Hæc ſpiritoſa ſubſtantia quia continuò eſt in motu ſenſibili, & nunquam quieſcit, continuò etiam operari aliquid debet, ſive in mixtis, ſive extra mixta ſit, dummodò tamen modificatam Configurationem non deperdiderit.*

20 *Commixtio particularum hujus ſpiritoſi, efficit compaſſivam mixtionem earumdem, ex qua amor, & unio inter eaſdem oritur, & uniformiter eaſdem ſimul operari facit, poſtquàm in tali unica configuratione unitæ fuerint.*

21 *Particulæ hujus ſpiritoſi à tali mixto modificato, dum alligantur, ac uniuntur cum particulis alterius mixti, compaſſionem cum ipſis efficientes, ſi primam configurationem ab hac alligatione non amiſerint, in ſe convertent particulas ſpiritoſas alterius mixti, & operari facient,*

eodem

eodem modo, ac ipſæ antecedenter operabantur, & in amore ſuo allicient operativo.

22 Quæ particulæ ultimo loco in mixto aliquo uniuntur (ſint tamen in debita quantitate, & configurationem retinentes) in compaſſione aliarum, ipſæ eædem, dirigent operationes proportionaliter ſibi ipſis.

CAPUT VIII.

Dilucidatio Poſitorum Axiomatum.

PRimum axioma, ſive aphoriſmum verum exiſtere, nullum credo philoſophum eſſe, qui negare poſſit, hoc tamen non obſtante, & ſepoſita quacumque authoritate graviſſimorum philoſophorum, id atteſtantium, placet hîc nonnulla adnectere pro clariori evidentia veritatis iſtius. Et primò ſi non adeſſet hoc commune omnibus mixtis; quomodo ex deſtructione continua plurimorum mixtorum, alia poſſent inſurgere? 2o. ſi non daretur hoc commune omnibus, quomodo unquam aſſignari poſſet genus generaliſſimum adaptatum omnibus mixtis, in quo convenirent, neque quia conveniunt in materialitate, aliquod aliud commune genus portio ſpecificata materialitatis, per quam operantur, habere etiam non debent? 3o. qua ratione mixta viventia abſque aëre vivere nequeunt, quin imò non viventia, ignis, nix, etcætera, ac deinde tam viventia, quàm non viventia paulatim, & ſucceſſivè ab eodem aëre deſtructione abſumuntur, alia certè ratio aſſignari nequit, niſi quia per aërem vagatur hoc commune omnibus, quod omnia mixta continuò operari facit, percutit, & afficit, atque afficiendo cauſa eſt, ut mutationem ſubeant: at hoc aliquid ut ubique excurrere, & inveniri poſſit, faciliſque motionis ſit, neceſſariò ſpiritoſum eſſe debet, ideo ad ſimillitudinem animæ regentis totum, & ſingulas partes corporis, animam mundi dicimus, ut evitentur multæ, quæ exurgerent inconvenientiæ. Porrò quia operari eſt genus univerſale univerſaliſſimum, per motum manifeſtatum noſtris ſenſibus, fit ut per hanc animam univerſalem mundi, ſpiritoſum mobile dictum, operationes omnes manifeſtari, & fieri debeant, & non aliter.

Hinc patet rectè vetuſtiſſimos illos philoſophos, ſpeciatim Platonicos, corpus in animam poſuiſſe, ſcilicet in hanc univerſalem

communem omnibus, & non è contra animam in Corpore, uti etiam huic animæ, ubiquitatem tribuiſſe, licet deinde operationes per præſentiam operatione motivam determinarint: unde tanquam verum, & indubitatum tenere debemus, hoc ſpiritoſum comprehendens, præſentia, & energia nobilius eſſe debere, comprehenſo, ſcilicet mixtis, quatenus ipſa comprehendit, quod evidenter patet in faſcinationibus voluntariis, præcipuè Sagarum, in quibus imaginatio per hoc ſpiritoſum agit, extra earum corpus, quo energia, & potentia vitali nobilior eſt, & ratio hujus eſt; quia cùm nihil operari poſſit, niſi participet virtute operantis principalis, unde fluxit, ideo hoc ſpiritoſum, ut valeat operari, participare debet, energia, & potentia vitali, quibus imaginatio gaudet, quamvis in ſpiritoſo faſcinante, licet conſervetur uſque ad configurationis amiſſionem, tamen neceſſe eſt ut ſit remiſſior, & minoris efficaciæ, quàm non eſt in ipſa imaginatione, quare ſuperiùs affertum, dari in mundo aliquod commune omnibus, ſtabile, & firmum remanere debet.

Pariter eruitur ex adducto exemplo, & probatur proportio, & concatenatio naturalis, quæ adeſſe debet inter principale operans, & medium, aut inſtrumentum, quo operatur, quod ſpiritoſum aliquod eſſe diximus, ſive animam mundi: ſi namque hoc commune omnibus non adeſſet, quomodo iſta concatenatio haberi poſſet, & qua forma ſpiritoſum, quod particeps energia vitali imaginationis non eſſet, agere poſſet in vitalitatem faſcinati? igitur primum axioma tenendum, tanquam quid ſolidum, verum, indubitabile, & neceſſarium ad operationum naturalium concatenationem explicandam.

Secundum axioma, vix meo credere habet aliquid, cujus dubitari poſſit, nam quia eſt quid materiale fluidum, in quo corpora, ſive mixta exiſtunt, non poteſt eſſe unum individuale indiviſibile corpus, partium expers, nam quomodo in ipſo loco moverentur mixta, quomodo etiam intruſum in hoc uno mixto, tales operationes exercet, quas non exercet in alio, & tandem unde aufugere poſſumus, quin penetrabilitatem corporum non teneremur admittere in materialitate, quæ communiter tanquam repugnans, refutatur: igitur concludere debemus, non eſſe unum individuale indiviſibile, ſed aggregatum plurium particularum, quæ quia ad uſum mixtorum variorum, & differentium deſervire debent, pro eorumdem operationibus, variæ quoque figuræ eſſe debent, ut ipſis juxta exigentiam proportionalem neceſſariam, adaptari poſſint, & in ipſis cum regimine.

regimine juvando deſerviant, & non è contra remoræ, & impedimenti ſint in operationibus præcipuè locomotivis.

Tertium axioma pariter vix indiget explicatione, cùm ex neceſſitate operationum, verum debeat eſſe, nam ſi taliter non procederent in operando, quomodo operationes conſervantes, & augentes mixta haberi poſſent, per ipſas, imò ſtatim eædem deſtruerentur à contrario particularum modo operandi, nam ſicut conſervatio per ſimilia, ita deſtructio per contraria habetur, quapropter concludendum, quòd particulæ hujus ſpiritoſi, dum in compaſſiva unione mixtorum ingrediuntur, licet difformium, & contrariarum particularum ſint, in ipſarum externa configuratione, tamen deinde unà ſimul unitæ,uniformiter operationes exercebunt.

Quartum axioma etiam incontroverſibile eſt, nam ſi non eſſent corporeæ materiales hæ particulæ animæ mundi, quomodo in mixtis ſimpliciter materialibus operari poſſent, cùm iſtis namque nullam haberent proportionem, vel aliquid commune, per quod unum mixtum operaretur in alio: viventia etiam, quæ non ſolùm ſimplices operationes exercent, verùm etiam ipſis adhuc integris remanentibus, & illæſis, propalationem ſpecierum ſuarum, in aliis diffundunt, eodem modo, ac ipſa fruuntur, & eis à patribus communicatum fuit; quomodo poſſent hoc efficere, ſi materialis hæc anima mundi, & quid ſpiritoſum non eſſet? ſtat igitur firmum etiam hoc quartum axioma.

Quintum axioma clarè patet, cùm ergo in hominibus, quorum corpus eſt materiale, ſicuti eſt reliquorum mixtorum, anima intellectualis immortalis immaterialis adſit, quæ communicare debet cum eorumdem corpore materiali, aliquod medium, utriſque proportionale adeſſe debet, quod faciat ipſa in motivis operationibus convenire, quod aliquid communiter ſpiritus dicitur. Hoc namque ut ambobus proportione reſpondeat, uſque ad extremum exilitatis exiliſſimæ molis eſſe debet. At hoc quod in hominibus taliter ſe habet, etiam in aliis mixtis ejuſdem molis eſt, nam aliter eſſet commune omnibus, igitur quia ob hanc exiliſſimam molem, & corporaturam ultimam, & extremam inter materiales, in hominibus, viciniores ſunt animæ intellectuali, univerſaliter etiam propinquiores erunt eidem animæ intellectuali immortali immateriali, ob hanc eamdem exilitatem communem omnibus.

Sextum axiomá probatur, nam configurare, ſive modificare aliquam rem, non eſt aliud, nisi auferre, vel addere eidem

rei modificandæ; illud quod efficiebat, ut res ipſa non ſit taliter figurata, ut requiritur ad talem modificationem, quam intendimus. At dum hoc ſpiritoſum mixta ingreditur, eidem additur, vel diminuitur illud, quod efficit, ut tali figura gaudeat, quæ exigentiæ mixti, in quo ingreſſum habuit, deſervire poſſit, dum antea deſervire non poterat: igitur modificatur, ac configuratur dum mixta ingreditur.

Quod additur, aut diminuitur aliquid à ſpiritoſo, dum mixta ingreditur, patet in hominibus, cæteriſque viventibus reſpirantibus: dum enim per inſpirationem aër ingreditur in pulmones, portio halituoſa ipſius, ſeparatur ab eodem cum modificatione reddente ipſum aptum, ut ſanguini coniungatur; & per expirationem foras iterùm expuitur reliquum, interim quod cum ſanguine conjungitur, ab iſto eidem aliquid aliud unitur, quod ipſum refrænet, & idoneum reddat, ut operationibus vitalibus deſervire poſſit, nam aliter ineptum eſſet operationibus, & facilè evolanti difflatione aufugeret ab eiſdem viventibus. Concludendum igitur, quòd dum ingreditur corpora, modificari, & configurari debeat, & hanc configurationem (quod in ſpecificata determinatione, eſt proprium, & ſpecificum individuale talis corporis) ſecum retinendo, dum difflat à corporibus, operationes extra eadem etiam exercere poſſit, uti ex antecedentibus eruitur, & clarè in ſaliva canis rabidi patet, quæ tantùm ſoleam calceamenti, vel veſtem tangendo, dum ejus ſpiritoſum adhuc retinet, rabiem inducere poteſt.

Septimum axioma evidenter eruitur à multis experimentis ſenſibilibus, quorum unum, aut alterum, brevitatis causâ hîc tantùm ponimus, ne prolixus abſque neceſſitate fiam in omnibus, ſi poſſibile eſt recitandis. Dum fervet vinum in doliis (multum enim fit, & non parva quantitas) ſi cellæ vinariæ non ſpatioſiores fuerint, amplæ, & ventilatæ, ſpiritu inebriativo ſeparato, & difflato, à vino fermentante, ſi quis ad aliquod tempus, illic permaneret, inebriaretur, licet vinum, neque biberet, neque tangeret, & ſpiritus ipſum inebrians ſeparatus ſit à vino, & inviſibiliter feratur: immò adhuc magis, in nonnullis illic obdormefactis, ita hi ſpiritus operationes inebriativas ſoporiferas exercuerunt, ut non ampliùs expergiſci ipſis obdormientibus datum fuit, licet per aërem vagantes, & ſeparati à vino iidem ſpiritus fuiſſent. 2°. mulieres hyſtericæ, virique hypocondriaci, ſi domum ingrediantur, ubi odoroſum aliquod corpus, uti moſcus, zibetum, & ſimilia anteà adfuerint, licet actu

non

non adſint, ſed tantummodò eorum odor remanſit, eadem ſymptomata, & malas affectiones patientur, ac ſi corpus odoroſum contrectarent manibus, ac eorum naribus offerretur olfaciendum. 3°. corpora contagioſis nonnullis morbis infecta, etiamſi removeantur à domiciliis ubi morabantur, cum omni ſuppellectili infecta, ni aër ventiletur, & domus expurgetur, alia corpora viventia, quę permearent illis in domibus, eiſdem infectionibus afficerentur, niſi præmiſſa cautione repurgationis utantur, quod in phthyſis ſpeciali ſævitie, quotidie experitur. At effectus prænarratorum experimentorum, & quamplurium aliorum conſimilium, nullatenus haberi poſſent, à ſpiritoſis particulis remanſis, niſi ſpiritus hi à corporibus diffiati, energiam, & affectionem, quam in eiſdem corporibus unde diffiarunt, adhuc non retinerent, uti priùs habebant, igitur ex eo quia operantur, & vim retinent, firmum ſtare debet etiam hoc axioma.

Octavum axioma oſtenditur, nam cùm anima intellectualis immaterialis immortalis, nullam habeat proportionem dum gubernat corpus, quod mortale, & materiale eſt, cum ipſo, inſtrumento uti debet, quod cum utriſque proportionem habeat, ut ambo unitæ vitaliter operari poſſint, ac apparenti operativa unione unà fieri. At uti ſuperiùs, & alibi in noſtris lucubrationibus dictum eſt, nullum tale operativum medium proportionale aſſignari poteſt, pręter hoc commune omnibus, Igitur anima intellectualis, hoc commune omnibus ſpiritoſo utitur, tanquam inſtrumento demonſtrativo, & directorio ſuarum operationum.

Nonum axioma licet videatur difficilis perceptionis, & ſubſiſtentiæ, tamen clarè patet, ſicuti, & præcedentia, nam pręter-miſſis plurimis experimentis hoc demonſtrantibus, præcipuè illis à vi imaginationis deſumptis, & à ſagis quotidiè in longiſſimum ſpatium exercitis, ratio, & neceſſitas viciſſitudinis, hoc etiam demonſtrant. Anima immortalis namque, quæ eſt incorporea quia poteſt intuitivè ac poteſtativè in remotiſſimis regionibus diſcernere, & extendi (iſtæ ſunt duo ex præcipuis proprietatibus animæ intellectualis in nobis operantis, ſicuti inſufflatio dum directivè operatur) neceſſariò debet, ac poteſt, etiam inſufflatione, ante ipſam, hoc ſpiritoſum dirigere, & illic operari facere, uti probare poſſumus ad evidentiam, per extaſim naturalem, qua mediante ad multa milliaria extenditur cognitio extaſizantis, uti P. Martinus Del Rio Societatis Jeſu in Diſquiſitionibus magicis etiam affirmat. Porrò ſi poteſt à

remotiſſimis regionibus ſpecies recipiendo diſcernere (uti etiam in inſomniis, quæ vulgò divinationes vocantur accidit, quæque revera abſtractiones ſunt, hincque Peripatetici cum eorum Princípe, & Duce dicere ſolent, melancolici divinantur) cur viciſſim non poteſt, illic ſpiritoſum hoc ſpecificans operationes, dirigere ad operandum, non eſt enim major ratio de uno, quàm de altero, igitur ita res ſe habere debet, & non aliter.

Decimum axioma, nulla probatione indigere videtur, cùm ex dictis ex ſe clarè erui poteſt, & à plurimis philoſophis jam pridem, difflationes, & atmoſphæræ quorumcumque corporum, probatæ, & clarè demonſtratæ ſint. Quomodo namque in fluiditate aëris corpora exiſtere poſſunt, & non percuti continuò, ab hoc commune omnibus, quod per eumdem aërem vagatur? ſi percutiuntur neceſſe eſt etiam, ut percuſſiva affectione motiva, à mixtis aliquid diffluatper regulam actionis, & repaſſionis; quod quia ſubtile fluidum, & facile mobile eſt, radiorum Solarium motionem imitare videtur, in ejus difflatione. Et quia ſubtilitas, & mobilitas radiorum Solarium, generationes & deſtructiones coadjuvant, etiam hi radii, & effluvia ad idem collimare debent.

Undecimum axioma etiam parum difficultatis ſecum fert, nam circumpulſionem adeſſe in fluiditate aëris, qui totus plenus eſt, & vacuitatis expers, ſufficit pro probatione, quòd unum, vel aliquot corpora præcipuè ſolida, moveantur, ad hoc, ut & reliqua etiam corpora, ac particulæ in motu cieantur, motæ enim quid implicat, quin ad tale mixtum tales parti-culæ percutere poſſint, & in idem alterativam motionem cauſare, earum irrequieto motu.

Duodecimum axioma patet clarè, plurimis obſervationibus, quomodo enim difflationes, & ſudores peſte affectorum, intruſa, & alligata linteaminibus, & aliis ſupellectilibus, poſſent infectionem tangentibus illa, communicare, uti pariter quomodo lue venerea infectorum excrementa, poſſent alia ſana corpora inficere, quæ in eodem vaſe excrementa deponunt, ſi energiam, configurationem, & operandi modum, quæ ſunt in principali unde emanarunt, non retinerent? quomodo etiam vaſa in quibus phthyſici potant, ac comedunt, infectionem communicabilem aliis ſanis retinent, uti aërem qui illos in ædibus circumdat, ſilentio prætereani. Unde ex adductis, & quampluribus aliis obſervationibus, clarè videtur excrementa, & ſuccos, non ſolùm cùm in mixtis ſunt, ſed etiam extra

ipſa,

ipſa, ſecum retinere portionem hujus ſpiritoſi communis omnibus, energiam, configurationem, & operandi poteſtatem referentis, uti in mixtis adeſt quorum ſunt.

Decimum tertium axioma, etiam ex obſervationibus plurimis (preter illa in antecedenti axiomate allata) dilucidari poteſt: quomodo ergo vina hiſpanica e. g. hîc Neapolim aſportata, tempore quo in Hiſpania vites florent, florificationem ſentire poſſunt, & non progredi cum regula florificationis noſtrorum vinorum? ſicuti pariter à tarantulis demorſi, quocumque in loco longitudinis remotiſſimo reperiantur, dum in Tarantina regione, tarantulæ ſubſaltando luxuriare incipiunt, demorſi occultum venenum ſentientes, ad motum excitati, ſaltare tenentur, quod eis non accideret, ſi tempore mordicationis, tarantula interfecta fuiſſet, ſpeciatim ſupra partem demorſam, & ſudore ſpiritoſum intruſum expulſum fuerit: ita etiam cùm urinæ, vel excrementa ſtercorea uruntur, modò quo fieri ſolet, & urinæ vel excrementa in corpore principalis, unde fluxerunt aduſtivam impreſſionem recipientia, ſolida vaſa ſui principalis iſta aſſervantia, lancinant, & aduſtiva dolorifica ſenſatione afficiunt, uti & mammis, dum lac uritur accidit, quomodo enim hæc, & ſimiles operationes accidere poſſunt, ſi commercium aliquod, & concatenatio, mediante motu circumpulſivo aëris, non adeſſet inter ſpiritoſas particulas horum, & mixti unde emanarunt? in materialibus namque, operationes omnes naturales per contactum fieri debent, & non in diſtans.

Decimum quartum axioma, obſervationibus indubitabile videtur; prima namque hujus pars in ſuperiori demonſtrata eſt, unde non indiget repetitione: 2ª. pars ſcilicet, quòd mediante eiſdem ſpiritoſis particulis, operationes eaſdem quas exercebant in principali, unde emanarunt, in aliis mixtis efficere poſſint, etiam patet ex dictis: ſpiritoſum namque difflatum à contagio infectis, quomodo alia corpora inficit, operarique facit morbificè? ita ſaliva canis rabidi, quomodo rabiem inducit in tangentibus ipſam, licet ſeparata à cane, & tranſmutare facit in mores canis rabidi, vel alius animalis rabidi, unde ſaliva fluxit? & in lac ſugentibus pueris, qua forma evenit, ut ſi ſupra mammas ſanguis inungatur (uti de Nerone fertur) & unà cum lacte ſugi fiat, ferinos, & ſanguinolentos efficiat eoſdem, & è contra lac nutricum placidarum, ad quietemque pronarum, placidos, & quietos pueros reddat, uti etiam rabidarum, aliterque

terque peccantium nutricum, proportione mores ipſis correſpondentes cum lacte, infantibus imprimant? nec non hædi ſi lacte ovium nutriantur, lanam mollem, & facilè flexibilem, non verò hirſutam,ac duram, ut caprarum eſt acquirant? quomodo ergo hæc acciderent, ni in excrementis, & ſuccis ſpiritus rectores non remanerent, & operarentur etiam poſt ſeparationem à toto. Tandem, ut quammulta alia pretercam, quomodo eadem planta in aëre craſſo, & morboſo, ac terra ſimiliter prava, malos fructus efficiat, translata verò in bonam terram, & aërem, bonos, ac perfectos fructus producat? ratio namque harum, & ſimilium obſervationum alia reddi non poteſt, niſi quia particulæ ſuccorum, & excrementorum referentes vim, & energiam eorum principalium, operantur in aliis mixtis proportionaliter, ſicuti operantur in ſuis principalibus.

Decimum quintum axioma ſi verum non eſſet, quomodo ſaliva canis rabidi, in quacumque parte corporis tetigerit, poſſet eumdem effectum rabiei in mente, & toto corpore cauſare, eodem etiam modo, ac ſaliva equi in ore morſum geſtantis, demiſſa in terram, dum pede ab aliqua utero gerente, premitur, fœtus cum freno in lingua enaſci obſervare facit: ita pariter venenum quodlibet ſpiritus afficiens, ſi in aliqua quavis parte corporis percuſſione impingat, totum corpus, ſcilicet ſpiritus iſtius afficiet, ut & calefacta vel refrigerata una parte corporis, per ſpiritum ſenſatio calorifica, vel frigorifica, in toto corpore dilatatur: ut ſilentio pretercam exempla febrium illarum ſymptomaticarum à partibus externis excitatarum, ob punctionem, ſpinam, vel aliter toto corpori communicatarum. Omnes enim he adductæ obſervationes evincunt, quòd læſo in una parte mixti, hoc ſpiritoſo, lęditur eadem morbifica compaſſione in toto mixto: iſtud idem adhuc clarè patet magis, in mulieribus ſpaſmodicis hyſtericis paſſionibus laborantibus, dum à ſpiritoſo per nervos fluente, & contrahente afficiuntur, in iſtis namque ſive per oris hiatum, ſive odoratum, ſive quocumque alio modo, per organum externum quodlibet, ſpaſmodice affectiones excitantur, ſemper uno, & eodem modo, ac motione, ſpirituum fluentium per partes nervoſas fiunt, licet per hanc vel illam partem excitatę fuerint, & hinc medicorum in adagium commune abivit *conſenſus unus conſpiratio una*. Quare concludendum quòd læſo in una parte

hoc

hoc ſpiritoſo, compaſſiva eadem læſione, in toto etiam corpore lædatur.

Decimum ſextum axioma patet primò per regulam contrariorum, quorum eadem eſt diſciplina, ſi namque læſo læditur, corroborato in aliqua parte, neceſſe eſt ut etiam in reliquis energiam, ac vigorem acquirat. Secundò obſervationibus, ſit totum ſpiritoſum à veneno viperini morſus e. g. infectum, ſi partis demorſæ ſpiritus, vel alius ulceratæ partis fortificetur, applicatióne lapidis Indi vulgò Porciſpini dicti, vel herbæ Serpentariæ veræ (libanotis ſpecies eſt, uti præcipuè in Illyricis regionibus maritimis, tanquam nota ab omnibus continuè experiri poteſt, eodem modo, ac ego didici à vulgo ruſticorum, ac Neapolim deferens experimentum cum aliis feci) à toto in corpore deinde ſpiritus vim, energiam, & vegetam ſanam conſtitutionem acquiret, uti etiam eodem modo in animi defectibus,dum per os,aut nares cum olfactu ſimpliciter fortificatur, hoc ſpiritoſum, in toto corpore fulgitur, & à delapſu virium, & animi reparatur corpus.Ex his ergo, & ſimilibus concludendum quod fortificatur in toto corpore, ſi fulciatur in aliqua ipſus parte.

Decimum ſeptimum axioma conſideranti, quid ſit affici, ac probè illud intelligenti, probatione non indiget: quid namque eſt affici,& mutationem ſubire,niſi illud,per quod tales operationes exercentur,alterari in configuratione,igitur quo configuratio,per quam operationes promoventur, eſt ſtricta unita in textura, & alligata cum hoc ſpiritoſo, eò difficilius alterari, & mutationem ſubire poteſt, uti è contra accidere neceſſariò debet, dum nudus, laxus, & non ſtrictè alligatus vagatur ſpiritus iſte, tunc enim ex regula contrariorum, facilioris eſt alterationis. unde concludi debet,quòd quò magis,& ubi laxum,nudum,& non ſtrictè alligatum fuerit, ibi eò citiùs affici poterit.

Decimum octavum axioma patet etiam, nam qua in parte facillimè evolabile, & difflabile eſt hoc ſpiritoſum, ibi etiam magis laxum, nudum, ac non ſtrictè alligatum cenſeri debet, at taliter ſe habet in caſu noſtro, igitur in excrementis, & ſuccis hoc ſpiritoſum non eſt ſtrictè alligatum, ac immerſum, uti eſt in reliquis partibus mixti ſolidis, ideoque etiam ac in ſuperiori axiomate, conſtat faciliùs mutationem recipere,& aliter affici diſpoſitum eſſe, quod autem in excrementis, & ſuccis, facile evolabile, & difflabile ſit, patet tam in phlebotomatione, quàm in ejectione ſeminis per coitum, aut meliùs per pollutiones involuntarias, in quibus licèt pauca ſit quantitas ſuccorum ejecto-

rum, præ quantitate tamen ſubtilis portionis ſpiritoſæ ſubſtantiæ, quę deperditur, & fertur extra corpus in iſtis excretionibus, debilitas magna præſentitur in toto corpore, atque deinde ad breviſſimum tempus prædicti ſucci excreti, vix, aut nihil ſpiritoſæ ſubſtantiæ conſervare videntur? quomodo namque debilitas iſta talis præſentiri poſſet, niſi multò major eſſet copia portionis illius, quę evolat, & difflat inſenſibiliter, quàm quæ cum corpore fluiditatis expuitur extra corpus. Clarius hinc etiam hoc axioma videtur, dum excrementa, & ſucci ſtatim collecta, & cautè cuſtodita fermentantur, ad breve tempus, in quo ſpiritus illorum exaltatur, & prodigioſos effectus prodere poſſunt, pro qua exaltatione in carnibus, tempus multò magis, & longius requiritur; & in oſſibus adhuc multum, atque hoc non alia ratione, niſi ob laxam, vel ſtrictam alligationem, uti etiam per pharmaca purgantia adminiſtrata corporibus ſanis, idem facile obſervari poteſt. Firmum ergo hoc axioma remanere etiam debet.

Decimum nonum axioma per ſe patet, nam operari nihil eſt aliud, niſi ad talem motionem, talem effectum inſurgere: Eſt namque hoc ſpiritoſum in continuo motu, igitur ad ipſius motum, aliquis effectus inſurgere debet, quod eſt operari. at ut hoc ſpiritoſum, horum mixtorum portio dici poſſit, configurationem propriam talium mixtorum geſtare debet, nam alioquin eſſet portio, vel alius mixti, vel illius univerſalis animam mundi appellati, indifferentis ad quodcumque mixtum. Igitur dum configurationem eorumdem mixtorum non deperderit, ſive ſit in mixtis, ſive extra mixta,operari poteſt proportione eiſdem reſpondens, tanquam portio ipſorum.

Vigeſimum axioma non eſt controvertendum, quia ut ſuperiùs dictum eſt, hoc ſpiritoſum univerſale omnibus, ex diverſis particulis figura differentibus integratur, ut ergo deinde unum fiant in operationibus promovendis, neceſſe eſt, ut compaſſivam unionem in ſe ipſis patiantur, ſcilicet ut ita diſponantur, & una particula ſupra aliam coadaptetur, & coadæquetur, ut unum mutuo appareant, ex qua unione non ampliùs contrarietas, ſive diverſitas particularum conſpiret; imò ex ipſa amor inter eaſdem particulas exurgat, dum ad invicem quieſcunt unitæ, ac obdormeſcunt una ſupra aliam, atque in poſterum uniformiter unà ſimul, tanquam, ac ſi unum corpus eſſent, operabuntur proportionaliter ad figuram, & configurationem, quam in hac unione acquiſiverunt, per hanc namque ipſam configura-

tionem

tionem, determinantur, & ſpecificantur, quæ ſint hujus, & non reliquorum mixtorum, uti pluries dictum eſt, igitur etiam hoc axioma firmum erit.

Vigeſimum primum axioma in inſitione plantarum, ac quamplurimis aliis operationibus, clarè patet, cùm namque ſupra arborem ſylveſtrem inſeritur puca, ſive virgultus plantæ gentilis hortenſis, & bonæ conditionis, & una deinde arbor fit, licet per truncum, & ſtipitem adhuc ruſticum, ac ſylveſtre plantæ, proportionatus ipſi ſuccus auctificus feratur, cùm deinde in ramos bonæ plantæ devenerit, à ſpiritu in iſto ſtabulante, tranſmutatur ad taliter proportionatè operandum, ut fructus dulces, & boni, ſuperiori pucæ correſpondentes produci poſſint, & non ſylveſtres, & è contra ſi ſupra bonum truncum, ſylveſtris puca infereretur, ſylveſtres tunc, & ingrati fructus producerentur. Verum hoc clarius patet in philtris naturalibus.

Vigeſimum ſecundum axioma pluribus obſervationibus etiam patet: ſi ergo cani qui te antea nunquam vidit, fruſtulum ſolius panis, vel cum caſeo, vel alia re unitum, & per aliquod temporis ſpatium ſubtus axillam brachii fotum, ac confermentatum, ad comedendum detur, licet canis hic nullum priùs cum perſona, id efficiente, commercium, & amicitiam habuerit, & ex altera parte, multam majorem quantitatem propriorum ſpirituum in toto ejus corpore habuerit, quàm non ſunt ſpiritus in pane imbibiti, tamen ſpiritus perſonę in pane inſitus, dum in compaſſione unitur cum ſpiritu canis, ipſum canem ad amicitiam, & amorem notatæ perſonę allicit, ac ligat, & canis ſpiritus proportione reſpondere facit perſonæ, quæ panem foverat: hoc eodem modo operatur ſputum, pluries in ore canis injectum; & tandem ut ſilentio prætheream, quamplurimas plantas amorem conciliantes ſolo tactu, dummodò tamen ipſę priùs fotę fuerint calore nativo talium perſonarum. Adjungo quòd ſi proprium ſtercoreum excrementum, vel urinam, vel ſudorem, inſenſibilemque tranſpirationem, perſona aliqua philtris amatoriis affecta, convenienter ſibi applicet, ut ſpiritoſæ particulæ ipſorum intrudi in corpore poſſint, particulis iſtis, ſpiritum alienum per philtrum intruſum domabit, proprium ſpiritum ſolvet liberabitque ac corroboratione fulgiet, ut deinde operari poſſit liberè, juxta propriam naturalem energiam, ac configurationem, quod credo intelligentibus ſufficere, pro dilucidatione traditorum axiomatum, cùm clariùs loqui ultra non liceat.

CAPUT IX.

Epilogatio Rationalis.

TRaditis ſuperioribus fundamentis, ulteriùs procedendo; nunc dicimus ſuccinctis verbis, prodigioſam hanc ſcientiam, ſua ſtupenda miracula, & effectus prodigioſos, ex hoc uno elicere, nempè ex recta unione combinante ſpiritus mumiales (iſti ſunt portiones illius univerſalis taliter tantùm in hoc mixto configurati, ad differentiam aliorum aliter configuratorum in aliis) unius mixti, cum mumiali alterius, ſcilicet ad modum magnetiſmi, in quo ſpiritoſæ particulæ, ſive effluvia magnetis tunc operantur allectionem, ſive vulgarem tractionem ferri, cùm combinantur, & uniuntur cum effluviis ferri, uti ſuperiùs explicatum eſt; cùm magnetiſmus accidat, ob circumpulſionem impellentem corpus allectum, ſive cum quo combinatio facta eſt, ſive vulgò tractum, dummodò medium, per quod operatio fieri debet, pręparatum, & diſpoſitum ſit, ab effluviis, ſive ſpiritoſis particulis difflatis à corpore movente, vulgò trahente. Et ratio traditi eſſe poteſt, nam quodlibet mixtum, ſive vivum ſive mortuum, magnetiſmum habet, nam tanquam Materialia, difflantem atmoſphæram habent, per quam magnetiſmus exerceri poteſt, & debet; & hinc eſt, quòd imaginatio, & phantaſia, quæ non ſolùm in homine ſunt, verùm etiam materialiter ſymbolicè in aliis animalibus, immò quodammodo in plantis viridibus ſub nomine animę vegetabilis, multò magis eundem magnetiſmum poſſideant, tanquam illæ, quæ faciliùs ſpiritoſas particulas dimovent, impellunt, ac difflando fluere faciunt. Verum quia hoc per diverſas vias, & modos effici poteſt, licet ſemper una, & eadem res ſit, fundata in inoſculatione ſpiritoſarum particularum, ideo artem iſtam, qui rectè exercere vult, bonus philoſophus naturalis ut ſit, neceſſe eſt, cognitionemque botanicam callere debet, ſpeciatim ſignaturam herbarum, ac earumdem collectionis, & implantationis tempore idoneo ſollicitus eſſe, anatomicæ compoſitionis, & ſtructuræ corporum animalium imbutus ſit, morbos, & affectiones omnes optimè diſcernat, eorumque modum quo efformantur non ignoret, corroborantia, ac debilitantia prompta habeat,

atque

atque in uſu pharmacorum purgantium, & phlebotomiarum oculatus ſit.

Quamobrem quia forſan, multi ex lectoribus hujus operis invenientur, qui omnes iſtas cognitiones habere non poſſunt, ideo in gratiam iſtorum, nonnulla circa cognitionem harum rerum quambreviſſimè proponemus, quæ ipſis deſervient tanquam lux matutina, omnimodas tenebras fugans,& ipſos adjuvans in cognitione, ut addiſci hæc ſcientia, & tutò exerceri poſſit, ne in ipſius praxi errata committantur, ob prædictum defectum, cum proximi detrimento.

Adnotetur tamen, quòd licet quicquid naturaliter quæritur in hoc mundo, omnino per iſtam magicam ſcientiam independenter à quovis alio fieri poſſit, verum ordinariis auxiliis, eadem adjuta, citiùs, faciliùs, & jucundiùs ſuos prodigioſos effectus pandet. Igitur quia hæc ſcientia potiſſimum in gratiam morborum profugandorum traditur, qui ab impuritatibus, & ſarcina humorum non rarò fiunt, & pharmacis purgantibus ordinariis vix curari ſolent, ideo nonnulla de pharmaco purgante priùs, antequàm alia adnotem explanabo, deinde ad phlebotomiam deſcendam, & nonnulla alia tangendo, tandem ad præcepta ſcientiæ magicæ enucleanda manus imponemus.

CAPUT X.

De præſidiis coadiuvantibus hanc Scientiam.

PHarmacum purgans quod eſt primum præſidium debet indicari à cacochimia, quæ eſt multitudo, & abundantia humorum peccantium, utplurimum in viſceribus imi ventris, quæ quia ad ſtatum naturalem difficillimè reduci poteſt, ideo ex communi conſenſu medicorum, extra corpus pharmaco purgante ejici debet. Tamen advertatur, quòd licet quandoque hęc cacochimia humorum adſit purgari minimè poteſt patiens, ob impedimenta (hæc vocantur vel contraindicantia, vel non tolerantia) quæ occurrere poſſunt. Et primò vires ad quas bonus medicus primariò, & ante omnia inſpicere debet, nam cùm revera debiles ſunt (multoties ſunt oppreſſæ à multitudine humorum, & tunc

 debiles

debiles dici nequeunt, neque tales conſiderari) purgandum non eſt, ne totaliter collabantur, & patiens pereat: 2°. inflammatio alicujus viſceris: 3°. lingua arida ſiticuloſa: 4°. phlegmatica obſtructio antiquata, quæ ratione conditionis materiæ, niſi priùs præparetur, pharmacis purgantibus non obediet,& aliæ his ſimiles cauſæ impedire poſſunt pharmaca purgantia, quæ tamen ſemper levia,& ſpecifica vi prædita,ac appropriata morbo ſint,ſive externè ſive internè applicentur, quare ut ritè, & rectè in horum applicatione procedatur, aliqua hic deſcribere non gravabor.

Et primò accipiatur aloës hepaticæ libra una, myrrhæ unciæ quinque, fellium taurorum libra una, pulverizata pulverizanda, omnia deinde in retortam injiciantur, & diſtillentur, ac oleum eliciatur, quo venter inungatur, & ſpongia calida intincta prędicto oleo tegatur, nam ſine nauſea, & torminibus operabitur benigniſſimè, & ſecuriſſimè: madzabus etiam herba eſulæ ſpecies, quæ ad litus maris naſcitur, violenter purgat, ſi quis ſecum ſupra carnes nudas geſtaverit, unde advertatur ne ad multum tempus geſtetur, nam tunc debilitare, & pericula alia inferre poteſt. Sunt qui peto femori alligato idem tribuunt, ita ſuccus titimalorum ſale mixtus, & in fecibus alvi recentibus immiſſus, magicè violenter purgat, quamvis cum acutis doloribus, qui ſtatim ceſſabunt una ſimul cum evacuatione, ſi prædictæ fæces aqua communi pluries abluantur, & ſeparentur.

Pro internis autem purgationibus, talibus uti poterimus. Mercurius vitæ (hic magnum emeticum, ſive vomitivum pharmacum eſt) in aqua communi ſolvatur, ac deinde per oleum ſalis tartari præcipitetur, & iterum denuò ablutione dulcificetur; fit ſuave purgans, ſi verò per oleum ſalis communis irrigetur, & per quatuor dies digeratur, ac deinde una vel alia ablutione mundificetur, evadet univerſale purgans clemens, & hydropis ſummum arcanum; vel ſi idem mercurius cum ſale commune tuſus, decrepitetur, ac deinde abluatur, & iterum cum novo ſale communi tuſus decrepitetur, & laverur, & ita tertia, aut quarta vice, imò pluries repetatur, evadet mite ſolutivum ſævitiem violentam,& emeticam deponens. Cœleſtis mercurius, qui & ſtomachum firmat, & impuritates omnes aufert, ac obſtructiones, ita pręparatur: mercurius præcipitatus albus communis multis ablutionibus edulcoratus, & ſiccatus, reducatur in paſtam cum oleo vitrioli,in vitro ad ſolem ponatur per 14. dies, tunc exime, exſicca, & iterum cum oleo vitrioli fac, ut priùs, ac tranſactis aliis 14. diebus, iterum operatio repetatur, ac circulatus tertia vice, pluries abluatur, & dulcificetur uſque ad gratam aciditatem,

quæ

quæ vix præſentiri debet, tunc exſicca, & uſui ſerva: admi-niſtretur à gr. V. uſque ad XX. abſque timore ſalivationis, vel vo-mitus, etiamſi pluries adhibeatur.

Vitrum antimonii, tantùm per inferiora purgans, fit eodem modo, ac mercurius cœleſtis, evaditque in affectibus capitis, & melancholicis, nullo alio purganti pharmaco cedens: opera-tio etiam ita fieri poteſt: accipiatur vitri antimonii, & olei vi-trioli ſingulorum uncia una, pulveretur in mortario vitreo, vel porphyreo, vitrum antimonii, ac diligenter miſceatur cum oleo vitrioli, atque ad ignem deinde exſiccetur, & iterum hæc o-peratio uſque ad ſeptimam vicem repetatur: tunc accipiatur ſpiritus vini libra una, cui per quatriduum macerata fuerit uncia una maſticis; & cum maſſa vitri antimonii pulverata per tres dies digeratur in vaſe vitreo, & tandem accende ignem, ſpatula ſemper movendo, donec flamma ceſſet, & benè exſiccetur: exhibetur ad gr. VII. circiter.

Aroma, ſive conſerva caſſiæ pueris etiam gratiſſima ad drahc-mas duas circiter, deſcripta in noſtro tractatu de febribus re-peritur, eſt ſuave ſolutivum. Emulsio in mortario facta cum manna calabrina bene contuſa, ſeminibus violarum, ac melo-num, & aqua tartarizata, frigidiuſcula ſumpta, atque ſi pla-cet cum aliquo odore mixta, optimum remedium ſolutivum e-vadit: uti pariter ad uncias duas, vel tres, aqua deſtillata à ni-ve, clauſa in urinali vitreo, antequàm eliquetur, eſt remedium la-xans, ac mordacitates, & æſtuationes remittens.

Phlebotomia, quæ ſanguinis per aperturam venæ, eſt evacua-tio, quæque pariter indicantes, tolerantes, ac contraindicantes habet; à copia ſanguinis primò, principaliter, & propriè indi-catur, quæ copia, pletora communiter appellatur, atque licet rariſſimè obſervetur, tamen ubi adeſt, nulli dubium eſt, phle-botomari poſſe: Secundò nonnunquam adeſt pletora quò ad va-ſa, uti dicitur, ſcilicet diſtentio, & turgeſcentia vaſorum, vel ob magnam copiam ſuccorum cum ſanguine fluentium, turgeſ-centiam, plenitudinemque cauſantium, vel ob magnam æſtua-tionem, ac rarefactionem ſanguinis, præcipuè ob aliquam fe-brim, in quo caſu ſanguis etiam mitti ſolet, ſicuti in inflamma-tionibus, præſertim internis jam jam imminentibus, vel incipi-entibus, nam factis, & confirmatis inflammationibus, uti in hæ-morrhagiis jam factis, vix juvare poteſt, immò vires debilitando potiùs nocere. Solent etiam medici in magnitudine morbi, & a-cutis pungentibus, ac lancinantibus doloribus, cum virium, ro-

bore,

bore, ætate florida, conſtitutione temporis calida, abſque magna difficultate phlebotomare, ſicuti in omnibus ſolitis ſanguinis evacuationibus ſuppreſſis,uti eſſent hæmorrhoidum, menſtruorum, & ſimilium.

Verùm pro phlebotomia, ſive ſanguinis miſſione, multa cum circumſpectione, Recentiores medici traditis conſentiunt, putantes tenuiſſimo victu, ſive dieta poſſe abundantiam quamlibet ſanguinis corrigi, & ęgri ut ipſi dicunt, abſque diſcrimine vitę, uti ex ſanguinis miſſione, facilè accidere poſſe credunt, tutiùs, & jucundiùs curari. Ego autem in ſimili controverſia, in citato meo de febribus libro, uti tradidi, iterum dico (hoc nunquam me in praxi fefellit) quod dum vires ſunt validæ, ætas patientis eſt florida, anni tempus proportione reſpondens, & contraindicantia non adſunt, ſecuriſſimè in enarratis caſibus, ſanguis mitti poteſt, nam tunc à ſanguinis miſſione, non ſolùm quòd non timendum ſit, quin potiùs citiùs,& ſecuriùs curationes ſubſequi ſperandum.

Contraindicant,& excludunt phlebotomiam, abundantia, & infarctus aliorum humorum in corpore, præcipuè phlegmaticorum, ventriculi cruditates, fluxus ventris, obſtructiones viſcerum, gravedines, atque raucedines cum tuſſicula acri, & ſimilia; uti etiam prædictam ſanguinis miſſionem, ſpecialiter non permittit virium languor, nam primò, & principaliter, uti ſupradiximus, in omnibus operationibus, bonus medicus ad vires attentus, acuta inſpectione, indicationes curativas debet referre, eodem modo imbecillis, languida, & delicata conſtitutio, ſive complexio patientis, facilè cedens cuilibet languori, ſanguinem non tutò mitti permittit, ſicuti, & frigida anni tempeſtas, climata regionum contraria, & anni conſtitutio.

Conſtitutio ergo temporis (expertus non ſemel fateor) quandoque, licet cum omnibus ſupradictis conditionibus, phlebotomatio facta fuerit, nocumentum patientibus attulit, & è contra quandoque juvare obſervata fuit, licet nonnullæ ex annexis circumſtantiis defecerint: vidi namque cum magna admiratione in conſtitutione febrium continuarum, cum copia lumbricorum, & lingua alba phlegmatica, ſanguinis miſſionem profeciſſe, imò principale auxilium fuiſſe, poſt variam tentatam multitudinem alexipharmacorum omnis generis, & in nonnullis etiam præmiſſo pharmaco purgante, unde tunc ſola phlebotomia ancora ſalutis dici potuiſſet, cum ſtupore medentium, qui

qui eam omnino contraindicatam videbant: quare ſolidè cognovi, præcipuè in conſtitutionibus, nullum medentem durum, & obſtinatum debere eſſe, in repudiando, recipiendoque quodlibet remedii genus, dum appropriata non reſpondent, nam in conſtitutionibus ut plurimùm, à quo non ſperatur, optatus finis ſalutis haberi ſolet. Cautè ergo ambulandum, attentéque modus procedendi remediorum, & morborum in qualibet anni tempeſtate, obſervetur, juxta exigentiam cujus, prudens medicus remedia applicet, anteponat, poſtponatque, varians aliquando ordinem curationis, novam methodum inſtituens, cùm expectatio rationalis non correſpondet, *nam adeſt quid divinum in morbis.*

Hoc idem pariter (præter id quod diſtinctè in noſtra lucubratione de veſicantibus traditum eſt) in veſicantium applicatione obſervetur, cùm ob acutam ipſorum acrimoniam, in humoribus corporum quam communicant, dum applicantur (non ob tractionem allicientem, uti à nonnullis ſomniatur) metamorphoſes etiam videantur non ſemel, uti ac in fonticulis, ſive cauteriis, ſimilibuſque remediorum ſpeciebus applicandis, quæ licet pauci, aut nullius auxilii ordinariè ſint, tamen quandoque prodeſſe obſervata fuere, unde ne nimis prolixus ſim, relinquo, cum cautela tamen procedatur. Relictis ergo his, ut quò citiùs fieri poteſt, ad operis præcepta devenire poſſim, corroborantia, & præcepta nonnullorum cordialium, ſuccinctè pertingere autumo, cùm iſta confortando vires, corporum vigorem, energiam, ac vividum ſpiritibus tribuant, quare hinc deinde operationum omnium perfecta promotio inſurgere poterit.

Inter univerſalia corroborantia, ſpirituſque vividos reddentia, præter margaritas, corallia, os de corde cervi, balſamum peruvianum, vel orientale verum, lapidem bezoar non adulterinum, & ſimilia vulgò accepta, ponimus magiſterium philoſophicum perlarum, vel matris perlarum, quæ vix inter ſe differunt cùm rectè elaborata ſunt: fiunt namque tundendo in ſubtilem pulverem corpora perlarum, vel matriſperlarum, deinde per quinque vel ſex noctes ſerenas aëri aperto exponantur, diei verò tempore, in loco umbroſo reponantur, in vaſe vitreo clauſa, tranſactis his diebus, iterum in porphyrite terantur, quò ſubtiliſſimè fieri poteſt, & iterum per totidem dies operatio deſcripta ad aërem nocturnum reiteretur, & tranſactis prædictis diebus, de-

nuò materia teratur, & operatio eodem modo reiteretur uſque ad quintam vicem, nam hoc tempore proprius internus igniculus in materia, ab univerſali per aërem vagante excitatur, ac perficit quicquid uſque adhuc, ferè à nemine per artem fieri potuit, in magiſteriis elaborandis: doſis hujus magiſterii eſt uſque ad drachmam in quolibet liquore; fit etiam idem magiſterium per fermentativam digeſtionem cum exili portione alicujus ſucci acidi, nempè limonum, aurantiorum, vel aceti; aut ejus ſpiritus, qui poſt trium, vel quatuor dierum ſpatium, cum quadrupla quantitate aquæ pluvialis mixtus per diſtillationem humiditas extrahatur uſque ad ſiccitatem, nam acquiretur magiſterium multò perfectius ordinariis magiſteriis: aſt ſi ſuperiùs diſtillata matris perlarum magiſterii aqua aſſervata fuerit, & ſupra novas matres-perlas ſola immediatè infundatur, cum tridui circulatione, ac ab eiſdem diſtillatione abſtrahatur, optimum magiſterium habebitur parum cedens philoſophico; hujus ultimi namque portio, ſi in aqua pura communi injiciatur, albedine quadam lactea ipſam afficiet, & virtutis corroborantis, balſamicæ, & humectantis non aſpernibilis: aqua rediſtillata à matris-perlis aſſervetur ſemper, nam quò pluries novis matris-perlis inſervierit, eò magis optima erit; ad novum magiſterium in virtute, & perfectione augendum.

Meliſſa item debito tempore collecta, ſcilicet cùm florere incipit, tuſa, & in vaſe vitreo clauſa, vaſe pleno reddito, rectè, & ferè hermeticè claudatur, atque ad aërem diei, noctiſque tempore ad fermentandum exponatur, abſque ulla deinde motione, ut vi igniculi proprii interni fermentando putrefieri, & iterum reſuſcitari poſſit, in forma liquida, limpida, ſuavi, & fraganti, quod optimum univerſale vivificans erit in poſterum: item aqua è radicibus nucum juglandum debito tempore inciſis collecta, dum lacrimatione extillat, atque cum pauca quantitate ambræ griſeæ unita, atque aſſervata uſque dum occaſio ipſam adminiſtrandi neceſſitatem præbeat, præ admirando effectu, ſtuporem parturiet adſtantibus. Aqua ex vitibus germinare incipientibus, per inciſionem à lacrimatione collecta, præcipuè muſcatellarum, cum tartaro vini benè calcinato ſi uniatur, & ad longum tempus circuletur, deinde diſtillationibus, ac cohobationibus ſi operatio ſeparans proſequatur, præbebit cordiale duplex, liquidum, & ſolidum, tam corroborans, & vivificans etiam in venenoſis affectibus, ut meritò,

paucis,

paucis, aut nullis aliis auxiliis cedere debeat aqua hæc, & terra foliata tartari.

Traditur in ordine corroborantium, & confortativorum, pulvis Gaſconis à nonnullis etiam Diatrion appellatus, cujus deſcriptio talis eſt: ℞. unciam unam pulveris pedum cancrorum marimorum coctorum, qui nigri ſunt, (colligantur cùm ſol, & luna ſunt in ſigno cancri, nam tunc ſtupendę virtutis erunt) drachmas duas magiſterii coralliorum, drachmas duas magiſterii perlarum, & drachmam unam lapidis bezoar veri, miſce, & cum gelato juſculo totius integræ viperę coctæ fiant trochiſci, & exſiccentur in loco umbroſo tepido: trochiſci iſti cùm exſiccati fuerint, iterum pulverizentur, ac denuò cum prædicto juſculo imbibantur, exſiccentur, ac ita iterum repetatur, nam quò pluries hęc operatio reiterabitur, ſemper nova imbibitione, exſiccatione, & pulverizatione, ut prima vice factum eſt, eò magis in viribus creſcit: doſis hujus eſt à ℈j ad ℈ii, & uſque ad drachmam utplurimùm. Si quis hunc eumdem pulverem circulare ſciverit, ſolo igne naturæ, ſive igniculo interno proprio abſque ulla additione, maximum alexipharmacum habebit.

Diarrhodon cùm recenter factum eſt, & ſtatim in vitreo vaſe rectè clauſo reponitur, & circulari fit in loco calido per longum tempus, optimum confortativum evadit, ſicuti & ſpiritus fuliginis tartarizatus, nec non elixir proprietatis, qui priùs ſiccus in loco calido per quadraginta dies debet fermentari, ac tandem cum ſpiritu vini unitus, iterum per duodecim dies circulari, ab omnibus noſcetur inſigne corroborans, & vivificans: prædicant nonnulli extractum calthæ hortenſis, cariophillorum, & pauci croci, optimum confortativum evadere, ſicuti etiam pillulas ſtomachicas Ruffi ex aloe, myrrha, croco, & ammoniaco confectas cum additione paucę portionis ambræ griſeæ, ac cum elixire magno in paſtam redactas, non ſolùm alexipharmacas eſſe, & corroborantes, ſed etiam vitam prolongantes, ut multę adauctæ ætatis ſenex, qui illas ex præcepto Philaleti practicabat, mihi narravit. In Ultramarinis regionibus eſt in uſu vinum vitæ tanquam expertum corroborativum, & vitæ prolongativum: apud alios trochiſci magiſtrales terræ catechu ad idem prædicantur, ac quamplurima alia remedia, quæ ſparſim apud varios homines inveniuntur.

CAPUT XI.

Introductio proxima ad Opus, ſive de Pharmacis, quæ hîc eligenda veniunt.

Attentus unusquiſque fit, in indagandis, ac addiſcendis pharmacis proportionatis pro opere hujus ſcientiæ: nam ex applicatione horum, bonus, vel malus effectus pendet. quare ut unus quiſque ad perfectam acquiſitionem ſcientiæ noſtræ, devenire poſſit, advertat, uti antecedenter tactum eſt, pharmaca ſignaturas læſæ partis exhibentia, eligenda eſſe (quænam iſta talia ſint videri poſſunt apud Crollium in tractatu de ſignaturis in notis ad eumdem authorem annexis, in zodiaco medico Cardilucii, apud Paracelſum, & alios) notetur etiam, quòd ſi pharmaca ſignaturam gerentia non habeantur, poterit quiſque uti aliis ſpecificis, quę tantummodò à facultate juvent, ſcilicet quę ex ſagacitate operantur, vulgò à tota ſubſtantia, & non illa vulgari qualitativa.

Signatura namque quia eſt vel in figura, vel in motu, vel in numero, vel in interno anatomiæ ipſius mixti (in qualibet iſtarum fit, proportionata eſt pro uſu operis) ideo dum corpus, vel ſpiritus per aliquod externum violentiſſimè læditur, ſagacibus plantis iſtis utaris, quæ quò plùs ſpiritus poſſidere reperientur, eò magis efficaciores erunt, cùm per has, ſicuti amici alliciuntur, ita inimici fugantur, ideo virides, & ſpiritu turgidæ plantæ iſtæ eſſe debent ad opus, e. g. ad hecticam aridam, ſalix ſpiritu vivido plena ſignatur, citò enim hęc planta creſcit, & neque à trunco exciſa, vel divulſa, ſi terræ mandetur perit, ſed novis acquiſitis radicibus pullulat, plantamque novam ejuſdem ſagacitatis, ac prima unde excerpta eſt, inſurgere videmus.

Hîc etiam addatur, cùm ſignatas plantas accipimus, quòd ſi una non ſufficiat pro ſignatura totius, & partis læſæ, uti requiritur (& hæc eſt alia cautela circumſtantialis ad hoc opus) poſſumus eligere duas plantas ejuſdem virtutis, ac ſagacitatis, quæ unitæ idem efficient, ac ſi una omnia requiſita habens, eſſet. Notetur etiam (quod eſt aliud, & ſummum

hujus

hujus ſcientiæ ſecretum) quòd medicamenta à corpore humano deſumpta, miracula magna præſtare poſſunt, ſi debitè adhibeantur, unde maxima cum diligentia, ac vigilanti attentione, quæ partes corporis, & quæ excrementa, vel ſucci morbis conducant, inquirendum eſt, uti in citatis notis ad Crollium de herbis ſagacibus, propè finem aliquid videri poteſt. Notetur pariter, mihi non latere, hæc per ſe, & ſimplicia adhibita, parum, & non valdè proficua fore, cùm verò in debita compoſitione, fermentatione, vel aliter tractantur, miracula manifeſtabunt, uti e. g. in unguento armario obſervari poteſt, & mirari. Quare in epilogum dicimus, ſequentia precipuè præcepta obſervanda eſſe, in combinatione ſpiritus, & mumiæ unius, cum alio, *pro opere* iſto perfectè complendo.

Primò *eligenda ſunt Pharmaca* quæ Signaturam læſæ partis ferant.

2°. Si *pharmaca ſignata* non habeantur, eligantur juvantia à tota ſubſtantia, & per vim occultam, uti dici ſolet, operantia.

3°. *Eligantur pharmaca ſignata* dum in vigore ſunt, & ſpiritu plena, ut citiùs, & faciliùs operentur.

4°. *Signatura reſpondere* debet toti, & læſæ parti.

5°. Si ſignatura unius pharmaci, toti, & læſæ parti correſpondens, non poſſit haberi, accipiantur duo pharmaca, ſignaturas prædictas referentia, & uniantur *ſimul pro opere.*

6°. Pharmaca à corporibus viventibus deſumpta, promptiùs, & mirabiliùs operantur *in hoc opere.*

7°. Quò corpora viventia erunt nobiliora, eò operationes mirabiles, & prodigioſæ *inſurgent.*

8°. Signatura quæ ad opus requiritur, etiam in corporibus viventibus quæri debet, in eorumdem partibus, ſuccis, & excrementis, pro ut iſta, vel illa accipiuntur *pro pharmacis operis.*

9°. Signatura non ſolùm in figura haberi poteſt, verùm etiam in motu, in numero, in *interno ipſius mixti*, anatomia, & in propria ſpecifica ipſius virtute.

10°. Tandem pharmaca licèt quomodocumque ſignata, non ita efficaciùs, at lentè operabuntur in hoc opere, magis quàm ſi priùs fuerint diſpoſita, ad opus, cum præceptis ipſius operis.

CAPUT XII.

De tempore tam collectionis, quàm applicationis horum Pharmacorum.

PHarmaca quibus utplurimùm utimur in opere noſtro, vel ſunt vegetabilia, à quibus mineralia non excludimus, vel animalia, earumque partes, excrementa, & ſucci. Vegetabilia namque colligi debent, dum in vigore ſunt, unde quia quò ſucculentiora, & ſpirituoſa fuerint, eò magis cum efficacia operabuntur, & in vigore erunt; igitur hoc tempore colligi debent; radices autem quia tempore autumnali, utplurimùm, vigoroſiores ſunt, hac tempeſtate potiùs colligendæ veniunt; plantę verò ſignaturas deferentes ſunt colligendæ cùm earumdem ſignaturæ magis conſpicuæ ſunt, & apparent:

Advertatur pariter quòd prædictæ plantæ colligi debent tempore, quò poſſibile eſt ſereno, & aprico, ad evitandum quicquid eiſdem nocere poteſt, & inficiari; ob eamdem etiam rationem colligantur, dum proprius dominans Planeta in dominio eſt (ſcio hic inſulſiſſimos, ſe vocantes eruditos, res ferè vix cortice-tenus intelligentes, quorum noſtro hoc tempore magna copia adeſt, riſum arripere, non recordantes, riſum regnare in ore ſtultorum) & alii maleficantes non ſunt; uti e. g. peonia pro epilepſia, & aliis capitis affectibus, colligatur cùm ſol eſt in leone, luna verò declinans, atque in tranſitu ab ♓. in ♈, eodem modo cancri marini, cùm ſol, & luna ſunt in ſigno cancri, & ſic de ſingulis (dominium planetæ cujuſcumque plantæ, qui neſcit, in zodiaco medico Cardilucii, & apud alios authores videre poteſt.)

Pharmaca quæ ex animalibus, præcipuè hominibus petuntur, ſequentibus cautelis colligantur: primò à corpore vivo colligantur (licèt nonnunquam etiam à mortuis colligamus) & quamprimùm egreſſa ſunt, comprehendantur in vaſis adaptatis, optiméque clauſis diligenter cuſtodiantur, donec tempus congruum adveniat pro uſu, eiſdemque nil addas pro eorumdem conſervatione, quod potiùs loco conſervationis, naturalem craſim ipſorum deſtruat.

Secundò

Secundò cave ne ante uſum corrumpantur (pro corruptione non intelligimus fermentationem, quæ potiùs perfectionem eiſdem adauget, & non deſtruit) & inutilia ad opus deveniant, fixando, evolando, & difflando cum corruptione mumiale balſamicum; quod eſt illud energeticam vim in mixtis manifeſtans; & hoc precipuè, vel ratione caloris non adaptati; vel ratione vaſis, utplurimùm advenit. Vaſa namque prout ad varios uſus deſerviunt, varia eſſe debent, nam aliquando vitreis vaſis utimur, quandoque ovis, nonnunquam ex animalibus petimus, uti cùm pharmacum pro doloribus colicis aliiſque inteſtinorum, vel fluxibus alvi immodicis, parare cupimus; inteſtinum rectum Suis accipimus, pro vomitu ventrem ejuſdem animalis, & ita diſcurrendo.

Tertiò cùm colliguntur iſta; ad tempus proſpiciendum (uti ſuprà de vegetabilibus loquentes diximus) & ad planetas dominantes, que in favorabilibus dominiis ſint: cùm namque poteris (quandoque præ urgentia neceſſitatis iſta prætermittuntur, etſi effectus optatus habetur, rectè, ſin minùs alio congruo magis tempore repetitur operatio) Luna rectè obſervetur, ut propitia habeatur, nam cùm nobis proximior ſit, cæterorum aliorum planetarum, multum nocere poteſt, Libra ſit adſcendens, Jovis, & Fortuna ſint unita in ſexta domo cœleſtis figuræ, & ſic de aliis adverti debet; Notetur tamen ne ſaltem noceant planetæ maligno aſpectu, ſi directè propitii haberi non poterunt.

Tempus applicationis pharmacorum varium eſt, pro varietate operationum, nam vel applicantur ſtatim abſque ulla premiſſione, uti eſſet digitus panaritio oppreſſus, quem ſtatim ad aures felis intrudimus, nulla prævia alia diligentia, tantùm contenti, quòd ibi detineatur, quò uſque felis ſuſtinere poteſt, & panaritii dolorem, ac virulentiam propriis ſuis ſpiritibus transplantatione connubio univerit: vel applicantur pharmaca eò ipſo, ac aliæ res ipſis unitæ fuerint, ut ovum gallinaceum ſtatim, atque ab ebullitione in urinis, unitum fuerit cum ſpiritibus patientis, & formicis datur in eſcam; pro curatione laborantium maraſmodico affectu: vel ſtatim ac ab eiſdem pharmacis aliquid demitur, poſtea applicantur, uti cùm à ſanguine glutinoſam, & purpuream portionem demimus, & ſeroſitatibus tantùm utimur pro delendis vinculis amatoriis, per philtra contractis. Vel tunc applicantur, cùm ſufficienti quantitate ſpirituum imbuta ſunt, uti cùm panem ſubtus axillam brachii de-

detinemus; uſque dum ſpiritus noſtros difflantes imbiberit, deinde cani comedendum damus, ut nobis familiaritate, & amicitia deſerviat, uti pariter lapidem magnetem cum infuſione unius horę circiter, in urinis patientis ad ſpiritus hauriendos, umbilico applicamus ad uterinos ſtrangulatos, & ſpaſmodicas ejuſdem uteri motiones frenandas. Vel demum (ne prolixior fiam in omnibus minimis enumerandis) poſtquàm pharmaca fermentata fuerint, ſe ſola, vel cum aliis unita, applicantur. At quia ordo iſte applicationis omnium aliorum efficacior eſt, & maximo cum ſtupore effectus prodigioſos exurgere facit, ideo hîc adnectendum non ingratum, & inutile puto aliquid de modo fermentandi, pro ut deſervit ad hoc Opus.

CAPUT XIII.

De modo fermentandi Magico.

DUo præcipuè in fermentatione rectè facienda, præter ſpatium temporis; concurrere debent, vas nimirum ubi fermentatio fit, & calor illam promovens: vaſa in quibus hæc fieri debet, uti ſuperiùs tactum eſt, variç materiæ eſſe poſſunt, quæ adaptari debent exigentię rei perquiſitæ; ut plurimùm vitris utimur, aliquando ovorum textis, nonnunquam partibus animalium, non rarò ſtupis lineis, aut laneis pannis, quandoque charta, oſſibus, cornibus, & una voce quicquid pro appropriato receptaculo deſervire poteſt, nam hoc quàmmaximè neceſſarium eſt, cùm non ſemel ſolo vaſis defectu, deſiderata operatio non evenit, quę in adaptato vaſe repetita, ſpem primęvam ferè deperditam, reſtituit.

Alterum, & magis principale fermentationem promovens, ſcilicet calor, vel eſt internus igniculus inſitus eidem pharmaco, qui proceſſu temporis ſe ſolus, abſque alio adjutorio, opus fermentationis perficit, vel eſt ab externo, vel eſt per additionem alicujus rei, qua mediante motio excitatur, fermentativam operationem perficiens. De igniculo interno (nihil aliud hic eſt niſi ſolutio partium ſubtilium & ſpirituoſarum mixtorum, cum remotione contrarii alligantis, ſoluta namque contrarietate interna ſe op-

ponen-

ponente, & occultante, partes ſe movendo perficiunt, quod antea imperfectum erat) hîc locus tractandi non eſt, cùm potiùs ad Chimicos & Spagyricos ſpectet, quàm ad Magneticos; unde tantummodo de externa additione, & extrinſecus promovente calore aliqua notamus.

Pro externo igitur promovente calore, advertere ſemper debemus, ad naturam rei fermentandæ, quæ prout varia eſt, & ad varios uſus deſervire debet, variè etiam modum fermentandi, ſive fotum, ſive calorem extraneum ſumimus: ita namque cùm ſemen, vel ſanguis fermentanda accipiuntur, in ovorum textis includimus, & jubemus per calorem incubare columbarum, gallinarum, ſimiliumque animalium, aliter majori calore opus deperderetur, & inutile foret pro opere: ſi verò idem ſanguis pro magnete deſervire debeat, majori calore coagulante, & indurante ipſum, in vaſis vitreis optimè clauſis operatio fieri debet; ſi verò eodem ipſo ſanguine pro charta, vel panniculo magico magnetico ad ſenſationes in diſtantiſſimis locis exercendas, uti debemus, in vaſe aperto, & umbra ſolis fieri debet.

Advertendum autem ſemper eſt ne loco fermentationis, corruptionem inducamus, & è contra, nam falli non debemus, ſi in vaſis optimè clauſis, dum fit aliqua operatio, colorem, ſaporem, & odorem mutare vidimus, tunc enim ſi fermentatio non interrumpatur, iterum poſtquàm partes fermentabiles exaltatæ fuerint, ad debitum ſtatum odoris, coloris, & ſaporis reducantur ipſa pharmaca fermentata, ferè ut priùs habebant, interim multò magis efficaciæ erunt, & ad opus noſtrum congrua, & è contra dum putrefactione corrupta, & ingrata odoris, ſaporis, & caloris evadent, efficaciam, quam priùs habebant, etiam amittunt.

Nonnunquam in fimo fermentamus, aliquando in balneo, ad aërem etiam præcipuè æſtivo tempore exponimus noctu, diuque; rarò imò rariſſimè calore furnorum utimur. Verùm fermentatio, quæ fit per additionem rei (ni tamen ſit res contraria heterogenearum partium, vel energiæ) ſolet eſſe perfectior omnium aliarum, uti cùm à ſanguine jam coagulato ſerum ſeparamus, & poſtquàm jam induratum eſt, portio ejuſdem ſeri eidem additur, ac per lentam fermentationem iterum indureſcere permittimus, & iterum cum nova additione ejuſdem ſeri, & nova ſemper induritione, tandiù repetimus, uſque quò ſerum omne cum ſanguine coalitione fermentativa uni-

tum fit, & in unum corpus tranſierint: tunc enim ſpiritus inſitus ſanguinis exaltatus eſt, energiam ad opus noſtrum neceſſariam præ ſe ferens, unde dum ritè, & rectè applicatur, ſtupendæ inde operationes emanabunt.

Verùm cùm hoc idem magneticum pharmacum, ad multos uſus deſervire poſſit, determinari debet, per additionem alicujus rei ſpecificæ talis partis, cui uſui eſſe debet, e. g. pharmacum magneticum humanæ carnis, vel deſcriptum jam cum humano ſanguine confectum, dum deſervire debet, ad affectionem conciliandam, priùs ſub axillis brachiorum, & ſupra cordis regionem foveri debet, nam in iſtiuſmodi forma fermentando, ſpiritus ſecum allectione unit, ac deinde in uſu operis ponendum; ita pariter cùm pro aliis finibus adhiberi debet, ſupra proportionatas correſpondentes partes foveatur. advertatur tamen, quòd nonnunquam aliquid partium, quibus deſervit, addimus abſque alia fotione, uti ſunt pili, capilli, ſudores, & ſimilia, at quia hæc omnia cùm de magnete magico, & modis applicationis ejuſdem, tractabitur, neceſſariò repeti deberent, ideò illic remittimus, ubi clariùs deſcribentur.

Calor ergo extraneus fit proportionatus, qualitati mixtorum fermentandorum, & correſpondens exigentiæ operis, cujus gratiâ perficitur, fi namque vel excedat, vel deficiat, opus fermentationis, non perficietur, immò deſtruetur: verùm exceſſus caloris, tanquam adurentis, & fixantis, ſemper pejor; paulò remiſſiori eſt, nam ſtrictè unit, & alligat particulas corporum fermentabilium: ordinariè enim fermentamus pharmaca calore fimi, balnei, ſolis æſtivi, aliquando debilis flammæ candelæ accenſæ, immediatè, aut mediante, ſubtus arenam, vel cinerem; calore animalium incubantium, & ſimilium.

Motum etiam fermentativum excitamus, additione rei extraneæ, quæ ſolvendo partes obdormientes, quieſcenteſque una ſupra aliam, in motu eaſdem cieat, & iſta fermentatio utplurimum, ad emendationem, & correctionem pharmacorum deſervit, ad hunc finem e. g. ſanguinem coagulatum, & durum factum abſque cautela aliqua, & cum ſpiritoſæ portionis deperditione, iterum humectamus, ſudore calido ejuſdem viventis, cujus ſanguis eſt, & in vaſe clauſo lentè fermentamus, ut in ipſo, implantatione, reſtituatur, & uniatur ſpiritoſa portio deperdita, & corpus ipſius reintegratum energiæ, remaneat diſpoſitum, ad uſum noſtri operis, uti in magnete vappido, redito,

dito, ineptoque ad operationes magneticas, accidit, dum ipſo ab alio magnete bono, vel marte magnetirizato, energia, & vis operativa redditur.

Iſto eodem modo rebus totaliter extraneis (non contrariis tamen energiæ) fermentationem promovemus, quæ revera duplex eſt, vel enim impedit violentam motionem, per quam deteriorarentur, & putreſcerent res, dum fermentandæ exponuntur, vel eamdem motionem promovet, primâ utimur in urina, quę in opere noſtro dum deſervire debet, in affectibus præcipuè renum, & veſicæ, cæterarumque vicinarum partium, ad hunc finem fermentanda dum eſt, ne putreſcat, particulę ipſius, violentum motum arripiendo, ei addimus aliquid ex venere exceptum, cum quo unita urina in vaſe vitreo clauſa ad fermentandum ponimus, & hoc modo meliorabitur cum fermentatione, & putreſcentia impedietur, quæ alioquin inevitabilis eſſet. Alteram verò experimur cùm fermentare volumus pilos, capillos, cornua, ungues, & conſimiles res, quæ niſi priùs humectemus corpore aliquo fluido humido, eorumdem particulas ad motionem fermentativam vix excitare poterimus, & inutilia remanerent pro operationibus iſtius ſcientiæ.

Tempus ſive ſpatium temporis ad fermentationes requiſitum, varium eſt, pro ut variæ ſunt operationes, in quarum gratia fermentationes pharmacorum fiunt, variæ etiam ſunt: unde pro ut varia pharmaca ſunt, & vaſa in quibus fiunt; ſpatium præciſum temporis, nullatenus aſſignare poſſumus. Hoc unum tamen unus quiſque ante oculos habeat in fermentationum temporibus, ne ante tempus removeantur à loco fermentabili, vel multò diutiùs, illic detineantur, licet hoc ultimum minoris damni ſit, quàm primum: nam cùm partes ſubtiles, & operativę exaltatæ ſunt ſupra craſſas, & cœlum aſcenderunt, & iterum deſcendendo, in unione omnes redierunt, bona perfectaque eſt fermentatio.

In textis ovorum enim, tandiù fermentamus, quamdiù ſolent animalia incubare ova ſua: in vaſis vitreis fermentatio, præcipuè. quæ ad ſolem, tempore ęſtivo fieri ſolet, prolongari ſolet ad quadraginta, & ampliùs dies, at in aliis vaſculis ùtpluri-mum abbreviari, uti in praxi, unuſquiſque ex ſe ipſo experietur, & addiſcet.

Notetur tamen quòd tempore fermentationis, corporá fermentabilia non ſunt movenda, præcipuè ſi liquida fuerint; nam

H 2 facil-

facillimè cum motione corporum, motio fermentativa introducta in particulis pharmaci, variabitur, & utplurimum opus inceptum deperderetur, atque hæc de fermentatione, pro ut ad hanc ſcientiam pertinent, ritè obſervanda, ac dicta ſufficiant.

CAPUT XIV.

De Magnetibus, ſive Pharmacis magneticis.

PHarmacum noſtrum, quia ad imitationem magnetis lapidis, qui alliciendo ferrum ſibi unit, alliciendo ſpiritus influos vitales, ad ſe alligatione unit, & aptum redditur, ut ad operis uſum deſervire poſſit; ideò generali vulgi vocabulo magnetem dicimus (qui non unus tantùm eſt, ſed plures), quodcumque pharmacum, quod aptum eſt ſpiritus influos vitales alliciendo, ſecum in unione, & alligatione retinere: quia namque omnis operatio per ſpiritus fit, iſtis egemus, ut operationes magicas promovere valeamus, unde cùm magnetem, ſive pharmacum magneticum habemus, facile eſt ſpiritus acquirere, quibus mediantibus deinde, quicquid cupimus executioni mandari poteſt.

Hinc apparet præciſùm, primævum, neceſſarium inſtrumentum in ſcientia magica acquirendum, debere eſſe pharmacum magneticum bonum; quamvis mihi non lateat, nonnunquam abſque pharmaco magnetico, operationes multas perfici poſſe, curamus enim multos ægros, animalibus aliis in eſcam porrigendo, excrementa infirmorum, uti in practica curativa particularium morborum videtur. Verùm quia ſcientia debet eſſe de univerſalibus, & non particularibus, ideò pharmacum magneticum nobis providere debemus, quô mediante quicquid univerſaliter cupimus, potiri valeamus, & hoc modo veræ ſcientiæ magicę philoſophos dici.

Multi hi magnetes eſſe poſſunt, quorum alii ſunt particulares, uti radix chamæleontis nigri debito tempore collecta, in manu geſta dum ſupra umbram equi, vel tauri, geſtans ſe ponit, vireſque illorum acquirit, illis interim debilitatis remanentibus: alii verò ſunt univerſales. Particulares ſparſim in hoc opere

opere multi videri poſſunt, & apud naturalium hiſtoriarum ſcriptores, non ineptè, hinc inde colligi poterunt; univerſales verò magnetes, quia non facilè haberi poſſunt, hanc ob cauſam hîc quò licitum erit, nonnullos libenter adnectimus.

Et primò ponimus magnetem Tenzelii, Paracelſo potiùs debitam, qui ita componitur: accipiantur hominis ſani fæces, quæ loco umbroſo exſiccari permittantur, ut & fœtorem, & excrementoſam humiditatem deperdant, derelicta tantùm ſalina terrea ſulfurina volatilitate ſpiritoſa pro uſu. Secundus magnes eſt caro humana exſiccata, ſit tamen ab homine vivo deſumpta, vel ſaltem ab homine violenta morte perempto, & adhuc calente, nam tunc erit valentiſſimus magnes. Tertius eſt iſte, nempè ſume ſanguinem juvenum ſanorum tempore veris, & coagulare permitte, ſeparata aquoſa ſeroſitate, ſejunctim in vaſe clauſo ſerva, & ſanguinem rubrum coagulatum ad umbram exſicca, exſiccatum cum reſervata aquoſa ſeroſitate humecta, & iterum ad umbram exſicca, ac toties hanc operationem repete, quò uſque totam ſeroſitatem imbiberit, & uſui ſerva, nam allectivum magneticum potens erit. Quartus magnes, & expertiſſimus talis eſt, colligatur ex hominibus ſanis magna quantitas ſecum, miſceantur cum urinis ſanis humanis ad pultis conſiſtentiam, ſimul ſubigendo probè, deinde adde ſudoris quantum potes (à corporibus ſanis cum linteis mundis colligi debet) & relinquantur in loco mundo umbroſo, donec ſiccentur, & iterum adde tantundem ſanguinis, qui poſtquàm incorporatus fuerit, ad exſiccandam ponatur; nota quòd ne corrumpatur, aqua ſupernatans ſanguini in vaſe optimè clauſo decantata, cuſtodiri debet, & poſtquàm exſiccata fuerit maſſa, hac iterum imbibi, & de novo exſiccari, ac repetere iſtam operationem debemus, ad totalem aquæ imbibitionem, & exſiccationem, nam tunc pretioſiſſimus magnes præparatus eſt, qui in vaſe clauſo cuſtodiatur, cùm ſit hic magnes univerſalis, in qualibet parte corporis potens allicere ſpiritus, ſibique unire.

Multorum aliorum magnetum deſcriptio, hîc adnecti poſſet; ſufficiant tamen traditi, & ſi quis alium requireret, ex ſe ipſo novum præparare addiſcat, vel aliquid aliud addat præcedentibus. hoc unum tamen advertatur, quòd poſtquàm aliquis ſumpſerit portiones corporum, illas cum cautela exſiccare de-

bet, imitando ſuperiùs tradita præcepta; nam aliter corrumperentur, & ineptæ redderentur, ac ad opus hujus ſcientiæ inutiles: quamvis adſint nonnulli magnetes, licet tantùm, qui per fermentationem præparentur; ſemper tamen advertendum eſt, loco fermentationis ne putrefactio fiat.

Inter iſtos tales Magnetas, quammaximæ admirationis eſt ille, vulgò homunculus à Paracelſo appellatus, qui non eſt impoſtoria inventio, uti magna pars naſutulorum eruditorum tenet, ex eo quia non intelligunt; quamvis revera non ſit organizatus corporeus homo membris omnibus gaudens, ſolaque anima intellectuali carens, uti vulgò, & communiter creditur ab aliis imperitis, qui totaliter litterali ſenſui authoris, artificialiter ita ſcribentis, fidem adhibent: aſt nil aliud eſt, quàm moles; ſive maſſa ferè carnea conglomerata, reſultans ob fermentationem habitam; ex glutinoſis fibris ſanguinis, quæ quia dum in corporibus viventibus in vaſis ſanguineis erant, quamplurimis operationibus deſervire debebant, proportionatam texturam, eisdem viventibus correſpondentem habebant: dum deinde à corporibus humanis ſeparatæ, in maſſam duram cocunt, ſimilitudinem quandam externam rudem humanæ carneæ figuræ præſeferunt.

Iſta namque maſſa jam magnes factus, & quia proportionatiſſimus eſt, cæterorum quorumcumque aliorum magnetùm, ad ſibi ſpiritus alliciendo unire, & quia (quod magis eſſentiale eſt) jam mumialis ſubſtantiæ exaltatæ ſecum defert, non eſt mirum ſi tot, tantoſque prodigioſos effectus prodat, tantùm geſta, & multos plures poſtea exhibita; per mumiam namque & magnetem, omnis operatio accidit; & iſta duo ſunt baſes fundamentales ſcientiæ magicæ, dum in executione poni debet; quare deſcripto magnete, ſive pharmaco magnetico, quid ſit mumia nunc ſubjungimus.

CAPUT

CAPUT XV.

De Mumiis, ſive Balſamis mumialibus.

MUmia, ſive balſamus mumialis eſt, pars illa eſſentialis ſpiritoſa, per quam craſis operativa mixtorum manifeſtatur, conſervatur, & ponitur in ipſo eſſe operativo: ſicuti enim mumia humana, eſt pars illa eſſentialis volatilis ſpiritoſa in ſanguine deliteſcens, quæ vivificat, nutritionem fovet, & ex qua vis, ſive eſſe quodlibet aliud, operativum hominum dependet, ita mumia plantarum, eſt pars illa eſſentialis ſpiritoſa, ſive ſalino-volatilis in ſuccis plantarum commorans, per quam plantæ ipſæ virides, vivideque manent, nutritio earumdem perficitur, ac eſſe operativum ſpecificativum talis efficaciç, & facultatis fovetur, atque dirigitur, quare ſi quis plantæ alicujus, mumiam haberet, totam eſſentialem facultatem, ſive virtutem ejuſdem plantæ poſſideret.

Hinc colligimus, quòd quicquid hauritur ex aliquo mixto, quod ſpiritoſum vividum ejuſdem, nudumque operativum, repræſentare potens eſt, rectè iſtud mumia, ſive balſamus mumialis talis mixti, appellari poſſet: ſpiritus namque licèt ſint, veri, & immediati operationum promotores, quia nudi, & ſe ſoli incedere ad operandum non poſſunt, præ indifferentia ad tales operationes & nimia ipſorum ſubtilitate, & facilitate ad difflandum, aliquo alio corpore indigent, cum quo uniti, apti redduntur ad operationes tales promovendas. Verum hoc alligatum, & unitum cum ſpiritibus, ut mumiale corpus, & ſubſtantiam non declinet, talis conditionis eſſe debet, ut poſtquàm unà cum ſpiritibus alligatum, & factum eſt, potiùs ſpiritus appareant, ſpirituoſaque vis, quam ipſum corpus alligans, quod tantùm ſtare debet, tanquam ſubſtentaculum, & inhæſionis locus, præſeferens ſolùm externam configurationem dirigentem ad taliter operandum; nam è contra ſi accideret, magnes potiùs imbutus ſpirituum, & non mumia dici debere, cùm mumia ferè nudum vitalem ſpiritum exhibere debeat, ut faciliùs ubique ferri, intrudi, penetrare, & operationes dirigere, ſua allicienti unione poſſit, aliter nullatenus opera-

operationes contingerent ſibi conformes, & proportione reſpondentes, cùm hæ per ſpiritum, & non per alligans fiant.

Colligitur ergo ex traditis, quòd corpora illa, quæ magis nudum ſpiritum ſecum deferunt, ad mumialem quidditatem magis accedunt, ſicuti etiam quòd corporum illæ portiones, quæ majorem ſpirituum abundantiam habent, mumialem ſubſtantiam balſamicam, majorem etiam poſſideant. e. g. inter cęteras alias particulas, ſive portiones corporum, difflationes eorumdem, quia magis nudum ſpiritum ferunt, quàm quæcumque alia aliqua particula, ideò magis accedere, ad mumialem ſubſtantiam balſamicam quidditatem, qualibet alia, ita etiam ſanguis arterioſus, ac propago medullaris nervorum à cerebro prodiens, quia per ipſa major quantitas ſpirituum fluit, quàm per quamcumque aliam partem corporis, ideò etiam majorem abundantiam mumiæ poſſident, licèt non ita nudam, ac eſt in inſenſibili tranſpiratione, ſive difflationibus, cùm in illis ſit diſperſa, & fluens per interiora eorumdem.

Patet etiam particulas ſtrictè ſpiritus alligatos ferentes, magnetiſmi magis habere, quàm mumiales, ita partes ſolide corporum ſe habent, inter iſtas verò, quæ non tam ſtrictæ, & duræ conformationis ſunt, magis aptas eſſe pro magnetibus, e. g. caro aptior pro magnete eſt, quàm oſſa, quia in carnibus ſpiritus faciliùs intrudi, & alligari poſſunt, quàm in oſſibus: verum tamen eſt quòd poſtea ubi oſſa ſufficienter ſpiritibus imbuta ſunt, non tam facilè ipſos dimittunt, uti caro efficeret, & molliores portiones, atque ideò longiſſimè protrahi; ac aſſervari oſſa imbuta, abſque eo quòd exhibeantur pro opere magico, nam vires non deperderent, uti faciliùs in primis accideret, ſicuti multò citiùs fluida dimitterent, quàm caro ipſa.

Quare hoc univerſaliter advertendum, quòd partes, quæ in uno ex traditis ſunt debiles, in altero ſunt fortiores, & quæ magis abundant hoc, penuriant illo; niſi tamen artificio aliquo aliter reducantur; uti e. g. ſanguis, qui abundat mumia, & penuriat magnetiſmo; ſi ritè fermentetur; ipſiuſque mumia exaltetur, & ejus magnes manifeſtetur; tunc aptius redditur ad admirabiles operationes promovendas; nempè ſi coaguletur, induretur, & proprio ſero imbutus iterum exſiccetur, cum ſemper nova imbibitione, & exſiccatione, uſque ad

tota-

totalem ſui ſeri incorporationem, (uti ſuperiùs tactum eſt) magnes deinde evadit, aptus ab emunctoriis corporum, ſpiritus alliciendo imbibere.

Porrò verum etiam eſt, adeſſe aliqua corpora arte ordinata, & præparata, quæ & magnetiſmi, & mumialis ſubſtantiæ munus, exercere poſſint, ac ita diſpoſita eſſe, ut & pro magnete, & pro balſamo mumiali deſervire valeant. At quia ordo, & modus horum præparandi, eſt ſecretiſſimus, periculoſiſſimus pro mala intentione, & abſconditiſſimus, ſolis veris philoſophis reſervatur, nam (ne inadvertenter in periculum aliquod incidamus, & potiùs pœnam ex his, quàm meritum acquiramus) ſicuti adjuvari, ita mundus multùm contaminari, & proximus lædi ab eiſdem poteſt, ideo hîc tutius erit de ipſis non loqui, quàm cum periculo, & animi perturbatione tractare, unde ſufficiat tantùm tetigiſſe; ſi quis autem majora, & ultra deſiderat, ex ſe ſolo, cum lumine traditorum dum laborabit, non impoſſibile ipſi erit, ad omnia, quæ quærit devenire. Et hæc ſunt quæ de Magnetibus, & veris Mumiis philoſophicis, ope artis præparatis, in genere dici permititur.

Reſtat nunc ut de Semimumiis, ſive magnetibus mumialibus ſimplicibus, naturalibus, non arte paratis loquamur, quod præter illud ad opus noſtrum faciens, deſervire etiam poteſt unicuique ad ſe ipſum edocendum, qua cautela, uti debeat in propriis excrementis, ſive ſemimumiis, (iſta namque ad naturam ſemimumiarum reducuntur) exonerandis, ac projiciendis, cùm excrementa ſint illa præcipua corpora, ex quibus magnetes, & mumiæ colliguntur, uti ſuperiùs traditum eſt, nec non abſque ulla artis præparatione, at ſe ſola immediatè, per iſta eadem, operationes quamplurimæ particulares fieri poſſint.

Meritò ideo nomen eiſdem ſemimumialis, ſive magnetis, & mumialis naturalis particularis tribuimus, ad differentiam artificialium, ſive per artem, ad talem ſtatum operativum productorum, ut ex ipſis effectus magici haberi poſſint, univerſaliter. Hinc ad hoc ut iſtę ſemimumiæ, perfectè cognoſcantur, breviter dicimus in viventibus (cùm in non viventibus, hîc non ſit neceſſe mihi, ſemimumiales ſubſtantias indagare) eſſe fæces ani, urinam, ſudores cum inſenſibili tranſpiratione, crines, ungues, ſputum, nariumque mucorem, ſanguinem, purem, ac quodlibet aliud excrementum, ſive particulare partium,

I

tium, uti aurium, oculorum, umbilici, ſimiliumque locorum, ſive univerſale, quorum energia, & vis pro magnetica ſcientia deſerviens, ut perfectè cognoſcatur, ſejunctim de uno quoque hîc pertractare, non inutile erit.

CAPUT XVI.

De Fæcibus Ani.

Cum fæces ani deſervire poſſint, ſe ſolæ, abſque ulla artis præparatione, ſufficienteſque ſint, tam ad curandas, quàm introducendas, varias inteſtinorum affectiones, uti videre eſt, in ſimplici excretione, quæ ſi ſupra herbas virentes ſalubres fiat, multa commoda principalibus inferre poteſt, & è contrà multa damna, ſi ſupra malignas herbas, aut alia corpora: deſerviunt pariter etiam ſe ſolę ad tranſplantationes efficiendas, imò magis cùm ex hominibus ſanis, & robuſtis collectę ſunt, loco unguenti armarii deſervire poſſunt, præterquàm quòd non deeſt, qui in ipſo unguento armario illas addat, & non ineptè.

Hinc ergo videre eſt, fęces ani, tam minimi æſtimatę, multam vim, & energiam ſecum ferre, quæ vis, & energia, quia pro magnete, & mumia deſervire poteſt, ideo ad utramque ſubſtantiam participandam, diſpoſita eſſe debet, ſcilicet configurationem, ſive conformationem talem habere, quæ apta ſit, & pro magnetiſmo, & pro ſpiritu vitali diffundendo, in quo mumia conſiſtit, nempè non ſimpliciter retinendo, ſed ita ipſo participare, ut quia nudum, laxum, faciléque in alia mixta vim inſinuabilem habeat, ideo ipſo mediante poſtea, in illis operationes promovere poſſint. Verùm quia indubitabile eſt preter iſtas partes, in fęcibus adeſſe etiam partes inutiles humidas, & indigeſtas, quæ & pro magnete deſervire non poſſunt, & mumiali ſubſtantię, detrimenti ſunt, ideo etiam ex hoc, non incongruè ſemimumiale corpus conſiderandę pro operationibus magicis non paucis, & appellandę fęces ani veniunt, ad differentiam mumię verę, nil inutilis ſecum ferentis, prẹter ſimplex neceſſarium alligans.

Poſſunt adhuc fęces ani, dici magnes mumialis partialis, quia ipſę,

ipſe, preterquàm de utriſque ſubſtantiis participant, ſi foveantur calore nativo perpetuò ſe diramante per corpora viventia, evadent fæces amiſſione ſuperflui, & alligatione nove ſubſtantiæ ſpiritoſæ, ſive mumialis, jam corpus magneticum fœcundum mumia, aptum univerſaliter ad operationes magneticas promovendas. Viles ergo non tam ſunt fæces ani, quantùm appoſitè numerantur ab ignaro vulgo hominum; non advertente, quòd in impinguanda, & ſaginanda tellure, nulli cedant, ut in facienda nova ſuperimplantatione, ſive reſtitutione reintegrante, & curante philtra, ſuum principalem afficientia, ſi adhuc calidæ excretæ, & ſpirituum vapidæ non redditæ, ſubtus pedes nudos geſtentur cum pluries renovationis impoſitione.

CAPUT XVII.

De Vrinis.

VRinæ intèr excrementa totaliter inutilia (excrementa namque ani ſaltem ad ſaginandam tellurem uſui ſunt) licèt enumerentur, ſi tamen attentè conſiderentur, quia portiones ſeri ſanguinis, chyli, & nonnihil ſucci nutritii cum eodem ſanguine refluentis, ſecum ferunt in earum integratione, ideo non ut ſimplex ſubſtantia aquea potulenta conſideranda eſt, nam in multis affectionibus citiùs, faciliùs, & efficaciùs fæcibus ani deſervire poteſt, ſpeciatim in omnibus affectibus viſcerum naturalium, præcipuè renum, veſicæ, lienis, immò etiam cordis, pulmonum, & cerebri, ne dicam totius corporis, uti in hecticis, ictericis, ſimilibuſque morbis, univerſum corpus torquentibus, videre eſt.

Excretiones igitur hæ quia (præter magnetiſmum) ſimiliter ſe ſolæ, & curare, & introducere multos morbos poſſunt, non obſtante ſuperflua excrementitia humiditate aquoſa exuperante in ſui integratione, non immeritò ergo ſemimumialis ſubſtantia appellandæ veniunt. Urinæ enim, uti & fæces ani, ſi ſuper bona mixta deponantur, bonos effectus, ſi ſupra mala,malos, & perniciosos effectus inſurgere facient e. g. ſi ſuper ignem

quis minſerit, dolorem, & ardorem in meatibus urinariis experturus erit, & è contrà ſi ſupra bonas herbas, molles, dulces balſamicas minxerit, urinæ dulces, & indolentes in excretione fient (hoc etiam quia in fæcibus ani contingit, ideo prohiberi debet mulierculis, cineres calidos ſupra fæces puerorum projicere, nam detrimentum ipſis infertur, quod additione frigidiuſculæ aquæ limpidæ tollitur) cavendum etiam, ne in vaſe, ubi urina infecta alterius aſſervatur, mingatur, nam per aliquod tempus ſi ſteterint, ita ut fermentare incipere poſſint, certò certiùs, infecti indiſpoſitionem contrahere poterit, & è contrà.

Verùm ſi urina cum modis in ſcientia magica requiſitis (univerſaliter omnium urina capax eſt) per artem reducatur, ut magnes fœcundus mumia fiat, per alligationem, & exaltationem ſpiritus vitalis influi, tunc breviori tempore, & cum majori energia prodigioſas operationes promovere poteſt, unde ubi minxeris in poſterum, conſiderare debes. Advertere etiam oportet, ſi perfectum magnetem turgidum, & fœcundum mumia componere volueris cum urina, ne potiùs tibimet, vel viventi, ex quo ſumpſeris illam, nocumentum aliquod afferas, prçcipuè fermentatione corporis alicujus ſignati, quod ſicuti poteſt eſſe juvaminis, ita etiam detrimenti, ſi bonum, & proportione, ac energia reſpondens non fuerit.

CAPUT XVIII.

De Sudore, & Inſenſibili Tranſpiratione.

Sudor, qui eſt ut plurimum portio lymphatici humoris, & humidi illius roridi, partes irrigatas, & molles tenentis, (quamvis non negemus etiam à ſero ſanguinis, immediatè ſudorem fieri poſſe) quia uti ſuperiùs traditum eſt, in excrementis fæcum ani, & urinæ, licèt multum ſuperfluitatis inutilis pro magica ſcientia retineant, his tamen non obſtantibus, etiam ſe ſoli multas operationes efficere poſſunt, ideo ex hac ratione non immeritò ſudoribus (quod de ſudoribus dicimus, de inſenſibili tranſpiratione, ſive difflationibus intelligere volumus, nam in aliud non differunt, niſi quia inſenſibilis tranſpiratio

ratio cùm augetur in quantitate, & numero, tunc ob coacervationem in porulis, fluitantur, & uniuntur, ac in forma liquida humida fluunt quod in difflationibus, quia non accidit, inſenſibiliter diſperduntur) etiam nomen ſemimumialis tribuimus.

Sudore namque & curari, & aliter affici poſſunt, non ſolùm tales partes corporis, unde colligitur, ſed corpus ipſum univerſum, nam quia ſudor ſe habet utplurimum, tanquam liquamen humidum ab impetu facienti ſpiritu, cum ſe ipſo unitum, ac extra corpus expulſum; ſi ritè, & rectè tractetur, effectus tales prodere poterit, qui vix credi poſſunt, cùm non ſolùm morbi curari, & intrudi per ſudores poſſint, verùm etiam animi mores mutari, immò adhuc, ſine ſudore, neque maleficia, neque demonum interna vexatio; vulgo obſeſſio, nobis valent accidere, nam uti pluries diximus, operationes omnes magicæ fiunt, mediantibus particulis ſpiritoſis influis vitalibus in proportionato magnete unitis: hinc faciliùs obſesſi ipſi, & mente alienati ob philtra, ſudoribus magicè curantur.

Et revera qualisnam alia portio corporis ſpiritu impregnata, haberi poteſt proportionata ad vim, & energiam ſpirituoſam demonſtrandam, ſudore? nulla certè, ideo inquàm maxima reflexione ſudoris conſideratio venit: ſimplici enim ſudoris portione habita, per ſcientiam magicam morbi omnes cutanei curari poſſunt, animi pathema corrigi, obſeſſi (ut paulò ante dictum eſt) & à maleficiis vexati reſtitui, immò ut ſermonem concludam (ſunt paucisſimi effectus, qui abſque ſudore in nobis, haberi poſſunt) vix magica ſcientia exerceri poteſt in viventibus, abſque ſudore, cùm interiùs, & vita ipſorum (ut ita loquamur) potisſimum cum motu ſudoris, & inſenſibilis tranſpirationis, sive difflationum halituoſarum conſideranda venit.

A ſuperiùs pariter notatis commodis, & incommodis, quæ in fæcibus ani, & urinis accidunt, immunis non eſt ſudor, & præter iſta multa alia in ſui fœcunditate defert, quę ſibi ſoli, & inſenſibili tranſpirationi tantùm competunt, unde nil mirum ſi ſagæ ſubuculis & induſiis, ſudoribus, & difflationibus imbutis, utplurimum utantur, in ſuis maleficijs efformandis, cuſtodiantur igitur probè, & qui ſanus vivere vult, multiplicatos non ignoret effectus, qui inde haberi poſſunt.

CAPUT XIX.

De Pilis, & Crinibus.

Crines, qui ſunt portio nutrimenti partium, per ſpiritus in folliculis in oſcillis pororum degentibus, devecta, & illic coalitione coagulata, nec non nova ſemper particularum alligatione foras elongata, uti clarè probari poteſt ex demortuis illis, in quibus pili creſcunt, in iſtis namque ſpirituoſam ſubſtantiam ad inſtar inſenſibilis tranſpirationis adeſſe, nulli dubium remanere debet; nam dum corrumpi demortuorum corpora incipiunt, difflationes, ſive inſenſibiles tranſpirationes, & multiplicari, ab omnibus obſervatur, & pilos tunc creſcere, ac elongari.

Hinc etiam crines ſemimumialia corpora collocanda, & tenenda putamus, tanquam illa, ex quibus etiam ſe ſolis, diverſi effectus magici produci poſſunt: in ſalicibus enim inſerti pili ſimpliciter à corpore tonſi, quammaximè alios creſcere faciunt; ſciunt enim; etiam ſimpliciter provecti in litteris (falſtem auditu) candelam aſtrologicè, uti dicunt, factam, (modus illam conficiendi vulgò ignoratur, & à ſuperſtitioſis mulierculis, multa ſuperflua, & ſuperſtitioſa abſque neceſſitate adduntur) in qua crines dum comburuntur, ad inſtar reliquorum philtrorum, animum movent ad amorem: crines pariter in radicibus plantarum putrefacti, diverſos morbos partium à quibus deſumuntur, curare ſolent: Ex quatuor etiam principalibus emunctoriis corporis deſumpti unà ſimul pili, & lege magicæ ſcientiæ fermentati, univerſaliter in corpore effectus producere poſſunt, bonos, vel malos juxta applicationem operantis.

Crines ergo, & pili cautè cuſtodiantur, & potiùs in herbis & tellure ſalubribus ſepeliantur, quàm comburantur, aliæque cautiones, in aliis deſcriptis ſemimumiis adhibeantur, nam etiam pili ſubjacent notatis viciſſitudinibus, immò pro philtris utplurimum pilis uti ſolent: vidimus enim pilos ex cauda equi evulſos, ac ſtatim in aure aſelli intruſos, aſellum retro hominem illud idem efficientem currere: nota etiam eſt non

paucis

paucis herba illa linguaris, cui ſi crines circumligentur, & in propriis auribus artificis ponatur, perſona deinde cujus ſunt crines, ipſum ſemper proſequetur, uſque dum non amoveatur herba crinibus recincta ab aure; cum hac eadem herba, ſi lana alicujus ovis alligetur, inque aures, uti ſuperiùs dictum eſt, ponatur, ovis illa, cujus eſt lana, operantem ubique ſequetur tandiù donec ab auribus removeatur: viles ergo, & pro ſcientia magica ſpernendi crines, & pili non erunt.

CAPUT XX.

De Unguium præſegminibus, & Dentibus.

Quia dentes, & ungues, duræ, fortis alligationis, & fixæ uti dicitur, ſtructuræ ſunt, ideo etiam reſpectivè ex fixiſſima coagulata, & alligata inſenſibili portione, elevata à nutrimentoſa ſubſtantia provenire credendum eſt: nil mirum igitur, ſi ab antiquioribus nonnullis, ad domandos rebelles, & obſtinatos morbos, adhibiti fuere, tantùm alligati animalibus viventibus, ſpeciatim piſcibus: unde fit, quòd etiam iſti inter ſemimumialia corpora ponenda ſint; ſi namque lege ſcientiæ magicæ fermentati, vel ſignatis herbis uniti, & alligati animalibus vivis, vel implantati, & intruſi in interno corpore plantarum ponantur, citiùs, & tutiùs curationes perficientur, uti in quartana, lepra, podagra, & ſimilibus morbis experiri eſt.

Advertendum tamen eſt, quòd quia fixæ ſubſtantiæ, eorum corpora ſunt, cùm jam effectus prodierint, ſtatim removenda eſſe, nam aliter, quammaximè principalem ſuum nocebunt, & debilitabunt, quod etiam genericè advertendum, in omnibus aliis ſemimumiis, ſive ſemimumialibus corporibus, nam in ipſis omnibus, data proportione, idem obſervatur. Ungues etiam, & dentes cuſtodiendi ſunt, nam viciſſitudinibus boni, vel mali eventus ſubjacent: præter namque ſupranotatos effectus, ſi obſeſſos certis dentibus ſuffumigaveris, non minimum illis auxilium afferes, uti è contrà cum unguibus, & dentibus magna incommoda principalibus cauſari poſ-

ſunt;

ſunt, præcipuè ſi dentes ſani violentia, & vi decerpti fuerint, majorem enim mumialis ſubſtantiæ tunc habebunt, & reciproca concatenatione, ac amore cum toto, unde deſumpti ſunt, continuabuntur, ob quæ faciliùs, & potenter effectus haberi poſſunt. Igitur non tam vili pretio æſtimandi, & ita indifferenter abſque cautela projiciendi, uti in febri hectica, cum unguibus videre eſt.

CAPUT XXI.

De Sputo, & Narium Mucore.

DUm ſputum ponimus, non halituoſam fluidam ſubſtantiam, ſive hiatum per aſperam arteriam, ex aëris ſeparatæ portionis à cavitate pectoris, & pulmonibus proveniens, intelligendum volumus, nam tractatio iſtius, quia eſt ſublimioris ordinis, ac indagationis apud magnos philoſophos, tanquam arcanum arcaniſſimum occultatum, & omnimodo ſilentio cuſtoditum fuit: at ſub nomine ſputi hîc intelligimus craſſum, & crudum corpus mucoſum, naturæ lymphaticæ per os excretum, parum diſſimile ab illo, quod è naribus ejicitur, narium namque excretum craſſius, & ſpiſſius eſſe ſolet, oris autem fluidius, albidius, & magis leve: à quacumque parte iſta proveniant, ſemper (licèt non magnam) portionem ſpiritus vitalis influi ſecum deferunt, unde fit quòd pro noſtro opere poſſunt deſervire, præcipuè in tranſplantatione morborum partium, excrementa iſta gerentium, ſicuti de facto deſerviunt: hinc nomen ſemimumialis etiam ipſis denegari nequit.

Si autem ſputo, & narium mucoſitati, ſalivà, vel portio ſeroſa à capite defluens uniatur, tunc majoris efficaciæ erunt, uti, in rabie, epilepſia, ac ſimilibus morbis, quammaximè utilia experiuntur, pro iſtarum curis magicis. Excrementa etiam hæc omnibus ſubjacent viciſſitudinibus, ſicuti & ſupeꝛiora deſcripta, nam ſi cum bonis herbis fermententur, & putrefiant; partes unde veniunt ſublevabunt, ac vigorabunt, & è contra cum malis, & venenoſis ſimplicibus, damna, & incommoda cauſabunt, quare in conſideratione magici philoſophi ſint,

ſint, ſicùti lacrimæ, aurium excrementa, umbilici mucilago terrea, ſordes inter digitos pedum collectæ, & ſimilia excrementa, nam tam cum aliis unita, quàm ſola, pro affectibus iſtarum partium deſervire poſſunt, & multò magis ſi lege magicę ſcientiæ adjuta fuerint, cum additione, aut diminutione, vel præparatione.

CAPUT XXII.

De Sanguine, & Pure.

SAnguis prima, & principalis fluida liquida Subſtantia viventium corporum, ſemimumialis, non ſolùm apud philoſophos tam recentiores, quàm veteres, in multa exiſtimatione habitus fuit, pro magicis operationibus, quinimò Sacrę paginæ, id ipſum inſinuare videntur, dum in ſanguine animam collocarunt, quæ anima ita appellata à ſacris paginis, reverà ſpiritus vitalis influi magna copia, & efficacior activitas in ipſo, intelligenda venit: ſi namque ſe ſolo abſque ulla præparatione ſanguine utaris, curationes multas efficies, uti videre eſt, dum pulverem ſympaticum dictum, vel unguentum armarium ſanguini univeris, ex qua unione, curationes multæ perficiuntur, abſque ullo labore alio, præcipuè vulnerum, ulcerum, hæmorrhogiarum, ſimiliumque morborum.

Pariter ſanguis adhuc calens, ſi ab animali aliquo deglutiatur, infectiones aliquas principalis unde emanavit, in ipſo ingurgitante tranſplantat: ſi verò ſanguis, vel ſe ſolus, vel cum additione in debito vaſe, & proportionato calore fermentando putrefiat, & partes variæ illius ſeparentur, ut ſpirituoſæ particulæ exaltari poſſint, tunc prodigioſos effectus tribuet utenti.

Vidimus namque ex exaltata portione ſanguinis per fermentationem philoſophicam, ita ordinatam, & adumbratam figuram humanam repręſentari in vaſe, ubi aſſervabatur, ut certè, & rationabiliùs homunculus dici deberet, ſi tactu comprehendi, talis figura poſſet, unde multa cum ratione concludendum venit, ſanguinem eſſe ſubſtantiam ſemimumialem, ex-

 poſitam

poſitam omnibus viciſſitudinibus, quibus aliæ ſubſtantiæ ſemi-mumiales ſubjacent. Dum ergo phlebotomatur, vel alio mo-do è corpore ſanguis fluit, rectè cuſtodiendus, & ſepeliendus, nam ſi cum bonis mixtis uniatur bonos effectus, ſi cum malis, malos cauſabit.

Pus quod creditur vel Sanguis putrefactus, vel caro cum ſuo ſucco putrefacta, portionem ſpirituum ſecum quia defert, ſub-ſtantiam ſemimumialem dicimus: ſolo namque pure, & farina cum caſeo unita, in eſcam animali aliquo ſi damus, juvamen magnum ulceribus affertur, uti ſimiliter cum unguento arma-rio, vel cum aqua in qua pulvis ſympaticus diſſolutus ſit, vel cum ipſo pulvere ſympatico unitum pus, multas curationes ef-ficit, alioquin difficiliores. Si verò cum ſignatis herbis bal-ſamicis, aliiſque mixtis fermentetur, & uniri permittatur, tunc multò magis efficaciùs pro curationibus evadet: Sunt etiam qui nucis recentis putamen intus balſamo, pulveri ſympatico mixto inungunt, & in eo ſanie impoſito, mox aëri ſicco, at non multo frigido; in arbore, unde nux deprompta eſt, ſub cœlo udo ſuſpendunt, & ulcerum curationes certè compromit-tunt, igitur ſi ſe ſolum pus curationes multas ſpondet, & arte præparatum efficaciùs, & multò majores effectus prodit, ſemi-mumialis ſubſtantia appellanda eſt, & omnibus ſupranotatis vi-ciſſitudinibus, expoſitum eſſe debet, unde cautelæ quæ in aliis no-tatæ ſunt, in hoc præteriri non debent, ſi incommoda effugere quiſque velit.

Niſi obſtarent pericula imminentia in certis aliis excrementis, quæ ideò in ſilentio relinquimus abſque neque nominis pronun-ciatione, nam hoc à principio firmiter propoſuimus, ubi pe-riculum adeſſe poteſt, de ipſo nullimodè eſſe tractandum: li-benter pariter hic adderem nonnulla circa excretiones lippoſas oculorum, ac earumdem magnam efficaciam, & energeticam vim, in non paucis operationibus, non minimis magicis pro-movendis: verum quamvis conſcientiæ ſinereſis ad ſilendum cogat, tamen charitas ſaltem ad dandas aliquas advertentias impellit ut loquar; ideò in abſtracto dicimus quòd unuſquiſ-que benè advertat, cautè cuſtodire, ne ſuas oculorum immun-ditias in manus iniquorum perveniant, uti pariter limpida aqua non calida, & puris pannis eaſdem abſtergere ab oculis, nam oculorum compoſitio, & modus operandi, mirabilis magis eſt, quàm cujuslibet aliæ partis corporis: viſio enim operationem ſuam perficit per lineam rectam, adeoque efficaciſſimè, & hinc

for-

forſan mens, cor, & ferè totum corpus commovetur à ſimplici inſpectione non raró. argumentum pariter magnę energeticæ virtutis oculorum, eorumque excretionum eſſe poſſunt naturales faſcinationes, tam voluntarię adjutæ ab imaginatione, & invidia, quàm involuntarię exercitæ quandoque contra proprium intereſſe, uti etiam morboſæ invitæ: Sicuti enim e. g. oculi ophthalmica lippitudine laborantes, ſi aliorum oculos attentè inſpicientes, velint, nolint, eadem morbifica affectione, faſcinant, & inficiunt oculos illorum, quos inſpiciunt, ita magicè multa operari poſſunt invitè: novimus namque conſpicuum Baronem in hoc regno, qui privatus erat ſua armenta ovium, equorum, ſuum, & ſimilium animalium videre, nam ſtatim infirmari, ac demori videbat cum magna ipſius triſtitia: invidorum verò, & malignorum naturales faſcinationes, uti à vi imaginativæ ſuffultæ continuè obſervantur, & à vetulis præcipuè exercitæ, tanquam corporibus proportionatis in quibus cumulus materiæ requiſitę fieri poteſt. Omnes enim iſtæ faſcinationes à radiis viſualibus infectioni unitis, per lineam rectam fluentibus, exonerantur, & percutiunt corpora quæ inficiunt, ob communiter cognitum vitium venenoſum, non à dæmoniis, & vi prava imaginativæ, uti ineptia vulgi credit, quamvis imaginatio multùm coadiuvare poteſt; Sed ob in eiſdem oculis cumulationem habitam particularum excretarum cum lymphis à tota maſſa ſanguinis, oculi namque multitudinem vaſorum lymphaticorum poſſident, & quia unum ex præcipuis muneribus, ſive uſibus lymphæ eſt, ſanguinem ab impuritatibus, præcipuè ſalinis mordacibus repurgare (hinc prima apparentia flavedinis ictericæ in oculis inſpicitur) in oculis facilè iſtæ cumulantur, & cum radiis viſibilibus fluendo, corpora inſpectorum inficiunt, ob vim multùm activam energeticam contagioſam quam poſſident, (Iſtæ eædem particulæ ſunt quæ ſcabiem, elefantiam, lepram, alioſque contagioſos graviſſimos morbos faciunt, & diffundunt) quid mirum igitur, ſi activitate magna quam poſſident, conjuncta in oculis cum modo operandi per lineam rectam radiorum viſibilium portentoſos magicos effectus producant; ſileo de vi lacrimarum, hiſtoriæ plenæ ſunt. Cautè ergo cuſtodiantur excrementa oculorum, nam præter tradita, multum in ipſis ineſt etiam virtutis illius energeticæ quam deferunt excretiones internæ quæ fiunt in corporibus viventibus? at ubi progreſſus ſum, non licet mihi am-

K 2 pliùs

pliùs loqui. Cautè igitur iterùm dico cuſtodiantur, uti de excrementis aurium, & umbilici pariter intelligi debet.

CAPUT XXIII.

De Modis quibus hæc Scientia utitur in Applicatione Remediorum, ut Sanitatem in corpore Morbido introducere poſſit.

PLurimi ſunt Modi (quod dicitur in hoc capite, valet etiam pro ratione, quomodo operetur hæc ſcientia) qui adhibentur ſpiritui, pro hac arte, duo verò ſunt principaliores, unus Tranſplantationis, alter verò Implantationis, ſive nudæ applicationis: tranſplantatio tunc fit, cùm mediante ſpiritu morboſo, morbum in plantam, minerale, vel animal aliquod introducimus, fine ut ex hac introductione patiens remaneat curatus: minerale namque, planta, vel animal in quo tranſplantatio fit, ut explicare incipiamus, dum ſibi unita, allectaque mala complexione, ſpiritus, ſive ſuccus ſalinovolatilis ipſius morboſus evadit, languet, & demoritur, interim ſpiritu morboſo patientis principalis, unde primus depromptus eſt, per tranſplantationem libero facto, vigorato, ac quodammodò ſpoliato infectione, iterùm refluendo, ad principalemque ſuum percutiendo, ipſum fovet, roborat, ac ad debitas functiones exercendas promovet, uti ex nova inunione ferri magneterizati, & magnete vapido reddito accideret, vel ex unione ſanguinis cum unguento armario, vel pulvere ſympatico ſimiliter eveniret, vel & clariùs dum animal aliquod urina ictérica paſcitur, & inficitur, & principalis unde urina deprompta eſt, & minxit, ſanus redditur, quibus caſibus niſi certè commercium, concatenatio, & reciprocus fluxus, & refluxus ſpirituum non adeſſet, accidere naturaliter minimè poſſent.

Advertere hinc in hoc opere oportet, ne in planta, vel animali nimis forti tranſplantatio fiat, nam tunc reſiſtit, & effectus optatus fruſtrà tentatur, ita etiam ne in planta, vel animali inimicæ, & contrariæ naturæ operationem aggrediaris, nam potiùs nocumentum, quàm juvamen experieris, ita ſi plan-

tæ,

tæ, vel animalia fuerint nimis flaccida, vel violentiora in operationibus, nam tunc non ſolùm quod morboſum eſt, allici- endo ſibi ipſis unient, verùm etiam bonum, uti per exemplum implantationis capillorum in ſalicibus, ut creſcant, patet, qui ſi ad longum temporis ſpatium ſteterint, abſque inciſione ſalicis, vel remotione capillorum, poſt ipſorum accreſcentiam, capitis & oculorum vacillatio promovebitur.

Tranſplantatio iſta duplex eſt, mediata, & immediata: immediata dicitur illa, quæ cum rebus mumialibus, vel ſemimumialibus, viventibus quibuſcumque adhibitis, vel aliis proportionatis mixtis peragitur, & evenit hoc modo. ſcilicet res quæ applicatur, malam, vel bonam mumiæ qualitatem ſibi appropriando, in ipſius naturam convertit, atque ſpiritum tranſplantantis, vel à tali qualitate mala liberat, vel ſibi unit ſpiritum, nulla maligna qualitate læſum, ſeque hoc ſpiritu fortificat, ac tali modo mediante, implantantis corporis qualitates, & vires energeticæ, in rem cui applicantur introduci poſſunt, atque mediantibus hiſce qualitatibus, ſibi ſpiritum rei recipientis in virtute allectionis fortificare, & deinde multa operari, eodem modo, ac puca plantæ applicata, ſive implantata, ſpiritum iſtius, & ſuccum operativum ſibi unit, ac operare facit energeticè ad ſuam naturam.

Mediata verò tranſplantatio dicitur ea, quę mediante immediata tranſplantatione perficitur, uti ſi quando in herbam convenientem, qualitas quędam tranſplantata fuerit, tunc herbam hanc animali alicui propinaveris, eveniet ut qualitas in herbam tranſplantata, ſive ſpiritus qualitativus energeticus cum herba tranſplantatus, in animali cui applicatur, ſive propinatur, tranſplantetur, & hoc modo facit operari correſpondenter ad principale, unde ſpiritus exivit, uti pariter multa mirabilia fieri poſſe, non eſt dubitandum, per hunc modum, & à longiſſimis, ac remotiſſimis regionibus, effectus energeticos aſportari, cave tamen ne hanc regulam in malum dirigas. Hoc prętereà notandum hîc, putrefactionem debitam, prępararе optimè quamlibet mumiam, ut in animalibus qualitas quęcumque energetica introduci poſſit: verùm in Sanguine putrefactionem iſtam optimè recipi; experientiâ jam pluries exploratum eſt, magis quàm in qualibet alia ſemimumia.

Alter modus qui adhibetur in magia eſt nudæ Applicationis, quam nudam applicationem dicimus, nil aliud eſſe, niſi cùm magnetes mumiales applicantur, quę vel malam qualitatem ſub-

jecti applicationem paſſi, corrigere poſſint, vel ab iſto ſpiritum vitalem haurire, quo deinde mediante, mediata etiam tranſplantatio fieri poſſit, uti in philtris quibuſdam notum eſt. In hac enim applicatione, hoc potiſſimum notandum eſt, ſcilicet ut nihil venenoſa qualitate imbutum, mumię applicetur, nam tunc qualitate illa, ſpiritus in ſubſtantiis mumialibus degens, læſus, totum nocumentum aliis communicabit. Verùm ſi cautè proſequi vis, ſuperioremque de Signaturis doctrinam ſecutus fueris, à ſcopo aberrare non poteris. Præterea cavendum, ne mala dięta, tempore applicationis, totum tuum apparatum ſubvertat, quod etiam in tranſplantatione, aliiſque modis exactè obſervandum, uti clarè conſtat conſideranti, quantum mali eveniret in inſitione plantarum, ex ſiccitate, aut ſimili re, quæ diętam repręſentat in viventibus, uti facit in plantis humiditas, ſiccitas, aliique modi afficiendi.

CAPUT XXIV.

De Tranſplantatione, & variis Modis quibus perficitur.

CUm ſuperiùs quid Tranſplantatio ſit, tradidimus, nunc quot modis iſta fiat, dicendum ſupereſt: quare dicimus ſex præcipuè modis, tranſplantationem fieri poſſe, nempè ſeminatione, implantatione, impoſitione, irroratione, ineſcatione,& approximatione. Seminatio fit, quando magnes mumia imprægnatus, miſcetur cum terra pingui, atque iſtæ eædem terræ, ſemina herbarum, morbo convenientium inſeminantur, quod practicè ita fit: terra cribrata, & cum magnete mumiali mixta, in fictili ponatur, ſeminaque huic terræ impoſita, lotura illius membri morbo affecti, vel totius corporis, ſi totum ſit affectum, irrigetur, ita ſemina illa germinantia, languores in ſe ipſis tranſplantant, hoc ſolum advertendo, nempè quòd dum tempus requirit, irrigari debent quotidie, lotione partis, vel totius, uti dictum eſt. His peractis expecta donec herbas pullulare conſpexeris: nam tunc eodem modo obſervabis, dum tempus permittit, ut in ſimili terra tranſplantata, ſicuti herbæ creſcunt, ita morbos decreſcere, & tandem curari.

Sunt

Sunt pariter alii, qui in his peragendis, ita procedunt, ſcilicet herbas præparatas perfectasque evellunt, & vel in fumo ad exſiccandum ſuſpendunt, vel in aqua fluente injiciunt, prout morbi ratio requirit, vel alio quoque modo congruo, iiſdem utuntur, & tali modo curationes faciunt; verum ut placet, unusquiſque modum magis ſibi arridentem ſequatur, nam experientiæ non incongruum erit. Si verò mumia, qua magnes impregnatus fuit, morbida non fuerit, tunc planta iterùm, & ſpiritu vitali illius, cujus mumia fuit, fotione impregna, nam mirabilia deinde efficere poteris, modò ſi quæ dicta ſunt, intellexeris, & exequaris.

Verùm adverte, ne herbas tuæ intentioni ineptas, eligere decipiaris, non enim ſingulæ, omnibus, & quibuſcumque rebus opportuna ſunt, nam iſtæ ſecundùm proprias dotes, & energias, ſpiritum collectum, & unitum diſpenſant, aliter enim ſpiritus junctus verbenæ, aliter carduo angelico operabitur, quod ſemper animo fixum teneri debet, nam prima morbis capitis, ſecunda verò jecoris correſpondentiam habet, & in his partibus operantur ſignanter, & reſpectivè ad propriam naturalem ordinariam efficaciam.

Implantatio ferè eodem modo, quo Seminatio fieri ſolet, perficitur: tantùm in eo differentes ſunt, quòd implantatio herbas cum radicibus, vel ſolùm radices accipit, & in ſimili terra (uti dictum eſt ſuperiùs) præparata implantatur, irroratione etiam deſcripta non omiſſa. Præterea hîc opportunum eſt notare, quòd ſi herbæ alio humore, totaliter tunc temporis priventur, meliùs eſſet, ita enim ferè coactè, mumiam majori violentia ſibi appropriabunt, quod in ſeminatione etiam facere, optimum eſt, niſi nimia ſeminis teneritas, ſive laxa mollities, contrarium juſſerit, quod hîc in implantatione, non ita timendum, unde experientiam ruſticalem auxiliatricem in his implorare, non incongruum eſt, ut & omnes reliquas regulas in ſeminatione adhibitas, obſervare. Hoc adhuc in hiſce ambabus operationibus deſcriptis notandum (uti ferè in omnibus aliis curationibus magicis, fieri ſolet) videlicet ſi planta moriatur, allicita mala qualitate energetica, antequàm morbus integrè curetur, tunc alia planta ejusdem ſpeciei, in eadem, vel potiùs præparata ſimili terra, iterùm implantanda eſt, & detinenda uſque ad totalem curationem morbi.

Impoſitio hoc modo perficitur: membri morboſi ſemimumiam, ſive excrementa, vel potiùs mumiam, vel utraque (om-

nia

nia ſemper ſume, quæ ſumere potes) accipe, illaque in arbo-re, vel alia planta, inter corticem, & lignum; vel cum tere-bella foramine facto impone: ſi foramine uſus fueris, cuneo ex eodem ligno, foramen claude, terram viſcidam ſuperpo-nendo: ſi verò inter corticem, & lignum, mumiam, vel ſe-mimumiam poſueris, cortice reducto, vulnus terrâ, uti in in-ſitione fieri ſolet, tege, inibi mumiam relinquendo, & ci-tò ſi benè omnia adminiſtraveris, optatum finem dabunt.

Notandum tamen eſt, morbos quoſdam citiùs inſeminatio-ne, quoſdam verò impoſitione curari; fixi enim citiùs hoc, volatiles verò illo, curantur: verùm eodem tempore in ſingu-lis morbis, ut unà ſimul cuncta facias, hîc expreſſè jubetur, natura enim his non oneratur, uti in ordinaria methodo, & curationibus accideret, quin immò quæ in praxi dicentur re-media, ſi conſiderantur, & modus curandi, iſtud comproba-bunt, nam nos ibi, ea tantùm quæ probavimus, deſcribere decrevimus. præterea ſunt qui (nec ſpe fruſtrata) impoſitio-nem, tanquam contra quoſdam morbos præſervativum effica-ciſſimum adhibuerunt; ego autem ut corroborativam, vigo-rativam, & auctionem adjuvantem, ipſam habeo.

At hoc maximè in praxi pro omni impoſitione, notandum, quòd quando effectum duraturum deſideramus, arboribus tar-dè, & longæviùs creſcentibus, quando verò velocem optamus, citò creſcentibus, utimur, ſicuti ſemper ſtamus reliquis aliis conditionibus ſuperiùs poſitis, dummodò tamen firmiter me-moria teneatur, cautio illa ſuprà poſita, de plantis citò creſ-centibus, ne læſionem deinde inferant, ideóque quàm citò tuo voto potitus es; quod impoſitum eſt, eximatur, vel planta incidatur; ne nimia ſpirituum allectione, læſio poſtea accidat principali.

Irroratio, uti ſuperiùs in tranſplantatione traditum eſt, fieri ſolet; ut per eam tranſplantatio perficiatur: fiat namque irro-ratio ſupra ſeminationem, vel implantationem (licèt aliquan-do ſola irroratio fiat; & optatum eventum producit) cum urina, ſtercore fluitato convenientibus aquis, ſudore, aut mem-bri, vel totius corporis lotura, pro ut natura morbi poſtulat, ſeparatim, vel ſimul mixtis, nam utroque modo fieri poteſt, quamvis mixtionem præferendam eſſe, quiſque efficaciùs expe-rietur, ex eo quia, & copioſiorem, & tutiùs ſubſtantiam ſpi-ritoſam mumialem, ſeminationi unione reddet, ac pro opere aptam faciet: herbas ergo, arborem, vel ſemina convenienter

elige;

elige, atque irriga ſingulis diebus, donec morbum correctum, & extinctum conſpexeris.

Verùm ſi cautiùs operari deſideras, ſuperioribus aliis traditis modis, & regulis magicis, irrorationem potiùs auxiliatricem præbe, quàm eâ ſolitariè utaris: Et quamvis hoc modo operationem fœcundiorem mumia reddas, tamen utrumque facere, in tuo arbitrio eſt: hoc unum tamen ſemper obſervandum, ut quàm citò irroratio facta fuerit, totam terram irrigatam, terrâ novâ tegas, ne aër undique circumpellens, & agitans, virtutem mumialem diſſipet, & non permittat rebus irrigatis aſſociari, antequàm planta jam allectione, ſibi univerit, aliáſque etiam ſuprà notatas cautelas nunquam derelinquamus.

Ineſcatio verò dicitur, quando mumia, vel ſemimumia, datur in eſcam, animalibus quibuſdam, ex qua ineſcatione, animal comedens inficitur, & principale unde mumia, vel ſemimumia deprompta eſt, liberum evadit; tunc enim calor vivificans, ſive ſpiritus rector animalium, ſibi unit mumiam, eámque corrigit, & tranſmutat, malam qualitatem ſibi uniens, & appropriäns, per quam morbus efficiebatur, unde corpus, ex quo mumia deſumpta erat, liberum factum ab hac allectione, in integrum ſanitatis reſtituitur, inficitur interim tali modo, ſpiritus vitalis bruti, ab operatione allectiva, eodem modo, ac anus deplumata pulli, ſi ſupra demorſam partem, & venenatam alicujus animalis, poneretur, in qua operatione pullus infectus, & pars libera à veneno remaneret.

Verùm ſummè notandum, ut quàmcitò animal, poſtquàm plenè, planéque infectum erit, interficiatur, ni venenum morbificum ex ſe ipſo animal necaverit, nam iterùm hoc vigorem recuperans, inficietur principalis, ob concatenationem correſpondentiæ magicæ magneticæ, in principio hujus operis traditæ, vel ſaltem cum mala complexione morbifica, etiam bonam hauriet: præterquàmquòd ſi mordeantur, vel alia offenſa, aliis animalibus reliquis ex infecto inferatur, inficiet, & lethalia erunt: ſin autem perfectè principalis curatus non fuerit, vel debilis fiat à prima applicatione ineſcationis, aliud animal primo demortuo ſubſtituatur, cum nova mumia, vel ſemimumia, & hoc toties, uſque ad perfectam ſalutem: animalia etiam, uti de herbis, & plantis ſuperiùs traditum eſt, ſemper proportionata morbis ſint, nec nimiùm debilia, nec nimis valida,

Et quamvis nonnulli experientiâ tantùm duce, ſanguinem adhuc calentem loco mumię ſuibus, aliiſque animalibus propinent, atque etiam pro philtris adhibent, cautè tamen in his procedendum, ad quamplurima damna, tam exhibenti, quàm exhibito inhibenda, quę inde evenire poſſunt fugienda; non ſemel enim vidimus rabida, maniacáque animalia recipientia reddita, & aliter læſa, principali interim non benè remanente.

Approximatione denique fit Tranſplantatio, ſi corpori morbido, applicentur, quæ ſpiritum vitalem directorem mixti, radioſque activos alliciendo, ſibi unire, & arripere poſſunt, & operatio iſta vel in plantis, vel animalibus cum applicatione perficitur; e. g. ſi infanti febricitanti catulos paucorum dierum vivos, aut columbinos pariter vivos, vel uti rudis mos eſt, grandiores per medium ſectos, ad pedes applicaveris, curari ſolet infans, uti ſimiliter, & certiùs, ſi gallinæ vivæ podex deplumatus morſui viperæ applicatus fuerit, vel vipera per medium aperta, & tantùm à capite ſeparata, ſtatim eidem morſui ſuperimpoſita, à veneno corpus infectum liberabitur, gallinâ interim allecto veneno, intumeſcente, ac deinde moriente (niſi citiùs curetur) & multò magis, velociùs, quàm ſi ipſa à vipera immediatè demorſa fuiſſet, uti accidit in inciſa vipera ſuperpoſita morſui, quæ putulento acuto intolerabili odore imbuta obſervabitur, & quandoque acutum inducere dolorem in parte demorſa, antequàm pars exoneretur, & caro viperæ imbuatur veneno, nil differenter hæ operationes accidentes ab illis, quæ evenirent à ferro priùs magnetizato dum in alium ferrum, vel polum agit, quod totum clarè demonſtrat magicum magnetiſmum etiam in applicatione non deeſſe. Advertatur ideò, cautelas multoties adnotatas in aliis operationibus, in hac etiam non omnino omittendas eſſe.

CAPUT

CAPUT XXV.

De Nuda Applicatione, & Modis illam Exequendi.

NUda applicatio, dupliciter conſideratur, vel enim per impoſitionem, ſive additionem, vel per applicationem: Impoſitio fit, cùm aliquid imponitur, ſive additur ſanguini, vel aliis ſemimumiis, aut excrementis quod ſignatum ſit, vel ſaltem talis qualitatis, & energiæ præditum, ut deſervire poſſit, prout eſt intentio operantis: fit enim impoſitio, cùm alicui compoſitioni aliquid mumiæ additur, ſive imponitur, donec intentum habeas; e. g. cùm compoſitioni, ſive aggregatui fæcum ani, ſalis, & ſpiritus vini, additur poſtea ferrum candens ad anum lædendum, ſtercorantis portam domus tuæ, & deinde eidem mixtioni, aquam puram frigidiuſculam imponimus, ad læſionem animi prędictam tollendam: Adnotare tamen oportet, quòd tales impoſitiones, & in vaſe debito fieri debent, & prætereà modum eligendi ingredientia, agnoſcere oportet operans, ne fallatur, & aliud eveniat à ſua intentione, ob ingredientium vim energeticam non cognitam.

Applicatio ſtrictè ſumpta dicitur, quando res ſignatæ corpori, partique dolenti, vel aliter affectæ, exteriùs apponuntur, ſive cum applicatione, ſive ſuſpenſione, uti in multis curationibus ordinariè fieri ſolet; e. g. cùm in veſicę doloribus applicatur radix ari, vel pro dolore capitis verbena ſuſpenditur collo. Advertendum tamen eſt, quòd multoties modus colligendi mixta, effectus variare facit, uti clarè videre eſt in aſſaro, & cataputia, ambo vi emeticâ, & ſolutivâ operaré valentia, proportionaliter energeticè ad collectionem; nam ſi ſurſùm evellantur, potiùs verſùs ſuperiorem partem movebunt, quàm aliundè, ſi verò deorſùm, potiùs verſùs hanc partem effectus producent, quare pro exigentia rei, modus colligendi obſervetur.

Etiam obſervetur præcipuè in vulneribus, & ulceribus; quòd in applicatione pro curatione horum, ſunt eligendæ herbæ mumialem balſamicam energiam præſeferentia, & ab applicatione ubi auferuntur, in terra ſepeliri debent, ad

putreſcendum, uti paulò antè dictum eſt, nam hoc modo ſpiritus fermentans in iſtis, & per aërem ſe diramans in diffiando, efficiet curativas operationes. Advertatur etiam quòd, ſi morbus particularis; e. g. ulcus alicujus partis ſit inveteratum; & habituale ipſius partis, tunc vel lentè curandum eſt, & non unà ſimul, vel totius corporis patientis eodem tempore cum parte læſa, conſideratio habenda eſt, in curatione iſta, & aliis magicis, alioquin curatâ parte læſâ, poteſt animal incurrere in damna majora, prçcipuè ſi applicatio curationis magicæ terminata fuerit, cum morte animalis, vel plantæ, quibus in morbo curando uſi fuimus, uti è contra in morbis acutis, vel recenter genitis, curatio adhibeatur, & fiat quò citiùs fieri poteſt, ſemper tamen cum plantis citò, vel lentè creſcentibus, habitâ ratione morbi.

Sunt qui putant mumias per claſſes elementares dividendas eſſe, & hoc modo etiam à mortuis, & ab infirmis corporibus, mumias colligi poſſe, & pro opere magico uti: attamen præter cæteras difficultates, quia potiùs ad malum, quàm ad bonum hę mumiæ deſervire poſſunt, ideò fundamentaliter ne iniquis occaſio mali detur, hanc viam addere libenter relinquo, at ſolum hoc unum adhuc admonitione dignum, puto admonere, ſcilicet quòd pro læſionibus magicis ſympaticis inductis, per hanc methodum, & viam, curatio citiùs per diviſiones elementares fit, quàm per quamcumque aliam regulam, & viam, ex ſuperiùs traditis e. g. hydropem per hanc inductam in aliquo animali, per ignem, magicum principium; curationem citò perficimus, uſtiones ani ſuprà deſcriptas per aquam, & philtra aërea veſaniam cauſantibus, per terram, & terreas res, uti in philtris ſanguinis menſtrui dùm margaritas adhibemus, & proprio ſero ſanguinis fixo terreo coagulato reddito utimur, & ita ad alia deſcendendo.

Verùm mihi quamvis alii modi, & ordines, quibus notatæ operationes effici poſſunt, non omnino lateant, ſufficiant hæc uſque adhuc tradidiſſe, tanquam ſufficientia, & ſecuriora, quæ proximo ſuccurrere poſſint (hic animi, meus finis fuit) derelictis interim aliis, præcipuè phyſiologicis, ſive theoreticis, nunc ad Praxim, prętertim ad Curationes directam deſcendamus, nam iſta præ cæteris cauſis, mihi medicinam profitenti cardo eſſe debet, & non uti forſan, alii efficerent, ingenii oſtentationem, & pompam cum theorematica ſcientia, totam magiam, manifeſtam facere, quę adhuc multos alios modos, differentias,

&

& uſus particulares habet, quibus hic, vel ille potitur, & utitur, dum ſcientiam hanc magicam exercere vult, quæ ne quis exclamet totaliter ſub ſilentio prætereunda non eſſe (præter illud quod à ruſticis, & ruſtica arte, cum inſitionibus variis & admirabilibus addiſcere unuſquiſque poterit, nam nulla res eſt, quàm ruſtica ars, & magnetis effectus quæ magiam docent). Aphoriſmos ſequentes univerſales, omnia comprehendentes adnectimus, ex quibus qui plura cupit laborando addiſcat.

CAPUT XXVI.

Aphoriſmi Particulares, quibus in epilogum tota Magiæ ejuſque Regulæ continentur.

1. *Mundus animatus eſt animâ primâ, & ſupremâ materiali operativâ, in ſe rationes rerum omnium ſeminarias dirigente, quæ à ſplendore ordinationum ipſius procedentes, ſunt ferè inſtrumenta, per quæ corpus hoc magnum Univerſi regitur, atque nexum catenæ aureæ Providentiæ repræſentant, uti in exordio ejuſdem Mundi, à ſuo omnipotenti Creatore ordinata fuere.*

2. *Dum anima hujus operationes particulares terminantur, exurgit corpus, ſive producitur ex animæ hujus potentia operativa, & variè formatur, ſecundùm illius ordinationem (ordinatio Mundi, intelligi debet, pro virtute illa, per quam rationes ſeminariæ in naturam, in ſuis organicis principiis unitam, imprimuntur) unde ſupra omnia corpora dominativam materialem poteſtatem obtinet, quam habere non poſſet, niſi ab ea particulariter planè, plenéque penderet.*

3. *In hac productione, dum anima intellectualis, immortalis, immaterialis, corpori humano infunditur, & unitur, remanet hoc anima mundi tertium, & medium inter utrumque, quô anima corpori intimè aſſociatur, & per quod omnes operationes rerum naturalium diſpenſantur, hocque medium tertium, ſpiritus vitalis vulgò dicitur.*

4. *Naturalium rerum operationes, diſpenſantur ab hoc ſpiritu, per propria organa, ſecundùm organi diſpoſitionem, & animæ intellectualis inſufflationem, cùm qua dirigit, & gubernat corpora.*

5. *Organi diſpoſitio primò, & principaliter dependet à ſummo rerum Creatore, qui taliter ordinavit in principio Mundi conditi per ſpecies; ſecundò ab anima mundi, ſibi corpus formante, ſecundùm Seminarias rerum rationes; atque tertiò à ſpiritu per univerſum vagante, res in tali diſpoſitione, & ordinatione conſervante.*

6. *Nihil corporeum quidquam energiæ in ſe habet, niſi quatenùs inſtrumentum dicti ſpiritus, ſive quatenùs ab eo vivificatur, nam merè corporeum, meréque paſsivum ſe præbet.*

7. *Si volueris magna operari, corporeitatem à rebus, pro poſſe, deme, vel corpori ſpiritum adde, vel ſopitum ipſum ſpiritum excita; nam niſi aliquid horum feceris, vel ordinationem operativam tui animi, mundi ordinationi conjungere ſciveris, jam mutationem molienti, nihil unquam magni operaberis.*

8. *Totum hunc ſpiritum, de re quacumque demere, impoſsibile eſt, abſque deſtructione ejuſdem: quia hoc vinculo res conſervantur, ne in nihilum, vel primam materiam, unde venerunt, corruant.*

9. *Spiritus hic alicubi, vel potiùs ubique ferè liber à corpore invenitur, & qui illum cum corpore congruenti jungere novit, theſaurum, omnibus mundi divitiis anteponendum, poſsidet.*

10. *Separatur hic ſpiritus à corpore, quantùm poſsibile eſt, fermentatione, vel amplexus à fratre libero, alliciente in amore.*

11. *Organa, per quæ operatur hic ſpiritus, ſunt rerum facultates, & organicæ diſpoſitiones, quæ nihil magis efficere poſſunt, merè, & purè per ſe conſideratæ, quàm ſi oculus vellet videre, abſque vita: dummodò nil ſint aliud, quàm materiæ, vel corporis modificationes.*

12. *Omnia quæ operantur, unicâ tantùm intentione operantur, hoc eſt ut efficiant ea, in quæ agunt ſibi ſimilia.*

13. *Spiritus vitalis ſubjectum, eſt corpus, in iſto recipitur, & in eodem operatur, nec unquam tam purus eſt, quin humori alicui vulgò mercuriali, jungatur.*

14.

14. *Humor hic non ſpecificat ſpiritum, quia communis rerum materia eſt, aptus fieri quodlibet, nec oculis cernitur, ſed purè mente diſcernitur, niſi priùs corpore ſolidiore terminetur.*

15. *Veri ſpiritus, puri, & intelligentiæ, ſive Angeli, niſi mediante hoc, in corporibus (ſicuti nec animæ intellectuales) agere poſſunt: duo enim extrema ſine medio non conjunguntur, neque operari poſſunt.*

16. *Si eo ſpiritus puri, ſive intelligentiæ utantur, ſpecificato utuntur, quo à contrario diſſipato, ſive in aliud mutato, deſiſtunt ibidem operari: & uti alliciuntur ſpiritu vitali animalium, ita fugantur, ſive potiùs in corpora deſiſtunt agere, fumis acribus venenatis adhibitis.*

17. *Stellæ vitalem ſpiritum corpori diſpoſito, quodammodò coacervant, & alligant per lucem, & calorem, eidemque ſe approximantes, vel elongantes, iisdem influunt mediis.*

18. *Spiritus iſte corpori in generatione miſcetur, dirigitque intentionem naturæ ad finem.*

19. *Semina majorem hujus ſpiritus copiam, quàm quodcumque aliud continere noſcuntur.*

20. *Semina tantam copiam non continent iſtius, quantam ad perfectam rei productionem requiritur, ſed ſpiritus interior allicit externum de Cœlo (ut ita dicam) deſcendentem, ſibique unit, unde hinc fortificato, tandem generat, & dat ſibi ſimile.*

21. *Si germinatio ordinaria poſſet impediri, atque alligatio, & aſſimilatio aliis viis promoveri, poſſent tandem res è ſemine, in momento in ſua ſpecie produci.*

23. *Quod magis univerſale eſt, magis etiam ad unientem allectionem promovet, magisque ſemina ad allectionem aſſimilantem diſponit, uti ſal petræ, ſive nitroſum in vegetabilibus efficit.*

24. *Vnaquæque familia rerum, ſive ſpecies, habet ſuum aliquod univerſale proximum, quò Semina ad allectionem aſſimilantem diſponuntur, & fertilia redduntur: Eſtque hoc, ſal, ſive naturam ſalis proximè referens, munusque & officium efficiens, ac ſpiritus in viventibus.*

25. *Qui novit univerſale familiæ alicujus animalis, ſemini artificialiter jungere, poterit etiam animalia, extra determinatam matricem producere, ſaltem conformaliter apparenter, atque eadem etiam aliarum rerum ratio eſt.*

26. *Qui poterit lucem cum tenebris conjungere, poterit res ſingulas multiplicare in ſua ſpecie, & rerum naturas mutare.*

27. *Spiritus vitalis univerſalis ab æthere deſcendens, purus, & illibatus, eſt ſpiritus vitalis particularis in rebus ſingulis exiſtentis pater, iſtumque nempè in corpore coacervatione procreat, & multiplicat, à quo corpora poteſtatem ſe propagandi mutuantur.*

28. *Sicuti ſpiritus vitalis primus in humore mercuriali libero, & communi latet, ita ſpiritus vitalis ſingularum rerum, in humore mercuriali, virtute corporis illius, cujus eſt, imbuto reſidet, quem humidum radicalem vulgò dicunt.*

29. *Varietas diſpoſitionis corporum prima; à varia aqueæ fluxilis ſubſtantiæ elaboratione perfecta fuit, juſſu Creatoris.*

30. *Qui poterit ſpiritum impragnatum, virtute unius corporis, cum altero ad mutationem diſpoſito, jungere, valebit multa mirabilia, & monſtra producere.*

31. *Secunda varietas diſpoſitiva corporum à varia mixtura, & coadæquanti unione trium principiorum elici poteſt.*

32. *Hæ diſpoſitiones à variis ſtellarum poſitionibus, præſertim verò à ſole fluunt.*

33. *Unicuique rei tantum utilitatis ordinariæ tribuitur, quantum ad producendas naturales illius ſpeciei actiones, requiritur.*

34. *Nihil incipit fieri, quod priùs utilitatem aliquam à Cælo non recepit, per quam operari aliquid poſſit.*

35. *Qui novit rebus, ſive rerum mixturis, cælum propitium, ſolemque infundere, hoc eſt animam univerſalem mundi, mirabilia præſtare poteſt, cùm hinc omnis magica naturalis operatio procedat, & pendeat.*

36. *Quò diſpoſitiones magis conformales, ſive ſubjecta magis conformalia, tanto plus hujus vitæ accipiunt, tantóque potentiùs operantur.*

37.

75. *Quantum de ſpiritu, tantum de calore ponitur: amittitur verò de uno, quantum de altero.*

76. *Omne putridum minùs caloris poſſidet, quàm ante putrefactionem poſſidebat, ideoque falſum eſt, quòd quæ putreſcunt, in ſe calidiora fiant.*

77. *Calor nec à natura, nec ab arte, niſi mediante luce, vel internâ, vel externâ excitari poteſt.*

78. *Qui lucem, univerſi ſpiritum dixerit, à veritate forſan non multùm aberrabit, vel enim lux eſt, vel in luce domicilium poſſidet: Ex primo, enim lucido, diſtillatione, ſæpiùs repetitâ circulatione, varia à perito mago, miris modis extrahuntur.*

79. *Qui poteſt corpora, ſine putrefactione deſtruere, & in deſtructione ſpiritum ſpiritui, mediante calore, conjungere, præcipuum, & maximum à milliaribus hominum quæſitum ſecretum, magiæ naturalis poſſidet.*

80. *Lux externa calefacit, calorem novum introducendo, proprium que actuando, ſive determinata, ſive indeterminata fuerit.*

81. *Lux determinata, producit calorem deſtruentem, omniaque comburentem, modò compactè actuetur, uti in igne vulgari.*

82. *Lux indeterminata, vitam largitur, nullique unquam, niſi per accidens, nocet, in terra habitat, licèt à cœlo, primam originem duxerit.*

83. *Qui ex lùce indeterminata, determinatam facere novit, ſpeciem non mutans, nec niſi in medio congruo illam recipiens, mineralia, & alia ſolida, pulcherrimè, ſine humidi radicalis amiſſione, præparare novit.*

84. *Sed ne quis fallatur, lux, quam indeterminatam dicimus, quæque in ſe vitam rerum poſſidet, animæ mundi univerſalis vehiculum in tenebris latet, nec niſi à philoſopho, qui centrum rerum planè perſpectum habet, cernitur.*

85. *Internus calor excitatur, ratione agitationis ſpiritus interni, cujus domicilium eſt.*

86. *Agitatur ſpiritus fermentatione, vel motu, & quandoque utrumque ſimul, ad agitationem concurrit.*

87. *Datur tertius modus agitationis ſecretus, philoſophis notus, quia ab illis in regeneratione, & generatione allectiva magnetica, percipitur.*

88. *Quando fermentatio à motu extinguitur, motum localem progreſſivum intellige, qui provenit ab imaginatione in homine, ſpiritum vitalem ad motum dirigente.*

89. *Omnis fermentatio, ante debitum tempus conſummata, immediatè putrefactionis ſignum eſt. Ideoque nihil poteſt putrefieri, niſi priùs fermentationem ſentiat.*

90. *Qui fermentationem accelerare, & putrefactionem impedire, ſpiritu univerſali propitio, novit, contritionem philoſophorum intelligit, & mediante eâ, mirabilia operari poteſt.*

91. *Putrefactio non à ſpiritu, ſed à corpore ortum ducit, ideoque ſpiritui contraria.*

92. *Qui ſpiritum univerſi, ejuſque uſum novit, omnem corruptionem impedire poteſt, & ſpiritui particulari dominium ſuper corpus largiri. Videant medici quantum hoc ad morbos curandos faciat.*

93. *Medicamentum univerſale dari poſſe, jam conclamatum eſt, quia ſi ſpiritus particularis vires ſumpſerit, morbos omnes per ſe curare potis eſt, uti experientiâ communi notum eſt: nullus enim reperitur morbus, qui quandoque ſine medicorum ope, à ſpiritu vitali non ſit curatus.*

94. *Medicamentum univerſale nihil aliud eſt, quàm ſpiritus vitalis in ſubjectum debitum, vigoratus, & multiplicatus.*

95. *Qui hoc medicamentum alibi quærit, quàm in vertice ænigmaticorum montium altiſſimorum, præmium laboris, dolorem, damnumque inveniet.*

96. *Philoſophi, qui in cavernis terræ, illud quærendum ſtatuunt, terram viventium intelligunt, & nos in ſemimumiis aliquid ſtrictiore diximus.*

97. *Qui in furnaculis Chymicorum, hoc invenire ſe poſſe putant, deſperatè falluntur, ignem enim neſciunt, qui pro determinata luce accipiunt, dum indeterminata eſt, & ignis naturæ, ac internus igniculus eſſe debet.*

98.

98. *Nihil, per primam naturæ intentionem, plus ſpiritus habet, quàm ſibi ad ſpeciem conſervandam ſufficit: ex unaquaque tamen re, natura philoſopho obſtetricante, filium patre nobiliorem, educere potis eſt.*

99. *Primus, & ultimus rerum color, flavus eſt, quia Stellæ, Solque flavi ſunt: quæ laxioris naturæ, ſive conſtitutionis, & temperamenti, ut plantæ, viridia apparent, poſtquàm aërem tetigerint, qui aër naturaliter, & ſummè cæruleus in illis agens, efficit flava viridia, duriora tamen facta, aëris impreſſioni reſiſtentia, nativum, primumque colorem induunt: ex dictis ergo tu myſteria deſumere poteris.*

100. *Aër cæruleus exiſtimatur, viſuique apparet, ſerenâ die cæruleus horizon, aër enim propter tenuitatem, fortes, & vegetos viſuales radios, terminare, aptus non eſt donec diſtantiæ langueſcant. atqui tùm radii terminati aëris, nativum colorem oſtendunt. Atquè hæc per Aphoriſmos, ferè de verbo ad verbum hic, aliunde translatos, dixiſſe ſufficiat.*

CAPUT XXVII.

Advertentiæ, Explicatio, & Epilogatio quædam Magiæ.

EX dictis igitur Aphoriſmis; ne quis incautè captum ducat, & potiùs verba, quàm ſenſum intelligat (multa enim vocabula immutata, placuit, relinquere, uti fuere ſtellarum, planetarum, cœlorum, conſtellationum, nativitatis, & ſimilium, ob præcipuum finem in præfatione declaratum) hic advertendum venit, ut ipſos cum meditatione legat, ſenſumque eorumdem ſcrutetur: nam hoc modo, omnia, quæ ſunt in hac ſcientia, inveniet, dummodò in auxilium, omnia alia antecedenter tradita in mentem, prompta habuerit. quibus in epilogum breviter adnectimus, quòd in mundo, omnia aliquid illius communiſſimi omnibus habent, per quod inter ſe commu-

nicare

nicare poſſunt, cùm cuncta in eorum generatione, hujus participatione integrentur, atque ſpiritus, ſive pars volatilis mixti, vulgò vocatur: per iſtum namque operationes omnes materiales exercentur, & energiæ omnes in mixtis manifeſtantur. Unde cùm quis magna, magicè operari vult, à rebus corporeitatem minuat, & ſpirituoſitatem adaugeat, nam quò reſpectivè magis, vel minùs corporeitas, vel ſpirituoſitas fuerint, effectus minùs, vel magis admirandi inſurgent. verum tamen eſt, quòd virtus rerum ſeminaria poteſt etiam augeri per artem, & abſque apparenti corporeitatis diminutione, magna operari, nam ſpiritus univerſalis, qui liberè ubique vagatur, quia Symboleitatem cum uno quoque individuo ſecum gerit, ſi colligatur, & corporeitati addatur, virtus ſeminaria augebitur, & admirandi effectus inde provenire poterunt. Vulgò autem colliguntur hi ſpiritus per ſeparativam fermentationem, vel per applicationem magnetis allicientis ipſos, ac ſecum unientis, quæ unio in corpore viventi, dum ſpiritum hunc vitalem vulgò dictum, alligat, ac determinat hujus, & non illius ſpecificati corporis, mercurialis humor vocari minimè poteſt, niſi humidum roridum radicalem, qui adinſtar humoris mercurialis particularis ſe habet, intelligere volumus, cùm humor mercurialis fit ille, qui communi illi ſpiritui liberè vaganti unitus, & aſſociatus eſt, nam ſpiritus hic abſolutè purus abſque alia unione, licèt inveniri deberet, non invenitur in terris, ob continuam circumpulſionem, præcipuè in fluiditate atmoſphæræ aëreæ. Et hinc evenit, quòd à Philoſophis aſtrologicis, per lucem, & calorem, ipſum, ſublunaribus rebus omnibus, à ſtellis infundi, aſſeratur, volentes aſſerere cum vocabulo lucis, & caloris, non eſſe abſolutè purum, & impermixtum, etiam ſi liberè vagetur. Hinc etiam fit, quòd ſi ſeminibus, quę majorem quantitatem hujus participant, quàm quodlibet aliud corpus, tantùm aſſimilatione addi poſſet hic ſpiritus, abſque temporis jactura, & progreſſivo ordine fermentativo, ſtatim poſſent ſpecies eorumdem produci, ſicuti etiam extra eorumdem matricem, ſi univerſalis illius participet, & fulciatur ipſorum ſpiritus; & è contra ad interitum, & perditionem deduci cum remotione, & diſſipatione ipſius. Modus applicandi, & uniendi hunc ſpiritum, pręter tradita in principio hujus Operis, generaliter loquendo habetur per ea, quæ corpora florida efficiunt (ſint tamen ejuſdem, & non alienæ naturę) tanquam per ea, quæ ſimilitudinem, & ſymboleitatem quamdam

referunt

37. *Sicuti in oculo nobiliores operationes ſunt, quàm in pede, licèt ambo procedant ab eadem anima regente, propter puritatem organi apti, hujus vitæ majorem portionem recipere: ita embriones, qui ſi propter conformalitatem à cœlo, ſpiritus magnam abundantem portionem recipiunt, nobiliores præſtabunt actiones.*

38. *Dum ab æthere ſpiritus hic perpetuò fluit, & ad idem refluit, cúmque in iſto fluxu, illibatus invenitur, tunc ſecundùm ſubjecti diſpoſitionem, à perito artifice miris modis conjungi poteſt unicuique.*

39. *Cor cœli Sol eſt, qui tam ſtellis, quàm terræ cuncta per lucem, & irradiationem diſtribuit.*

40. *Opacum nil aliud eſt, quàm corpus vel luce carens, vel & meliùs, lucem ſopitam poſſidens.*

41. *Qui lucem è rebus, per lucem educere poteſt, vel lucem luce multiplicare, his ſpiritum vitalem univerſalem, ſpiritui vitali particulari addere novit, & per hanc additionem, mirabilia perficere.*

42. *Quantum de luce, tantum de vita additur, cum additione in corporibus, & è contrà, & quantum de una, tantum de altera amittitur cum diſtractione.*

43. *Spiritus hic poſt ultimam maturationis periodum, ſemper ſucceſſivè, & pedetentim incipit, & proſequitur evaneſcere.*

44. *Maturatio nil aliud eſt, quàm proprii ſpiritûs radicati, ſive inſiti operatio tendens ad perfectionem individui, quatenus perfici poteſt, ſecundùm ſeminarias rationes à natura propoſitas: vel eſt actuatio ſpiritus interni, quatenus actuari poteſt: vel eſt ad ultimum naturale gradum, & maxima illuminatio materiæ, quæ à tali lumine, fieri poteſt.*

45. *Spiritus diſſipatur dum nimiùm in rebellem materiam agêre conatur: vel quando craſis naturalis rei alteratur, & laſſa fit: nonnunquam nimiùm excitatus erumpit, vel à fratre ſpiritu allectione evocatus, accedit.*

46. *Materia dicitur rebellis, quando à ſpiritu ſuperari, & alterari, propter alteram craſim contrariam non poteſt: vel à periodis naturalibus*

M

bus trahi, extra quæ materia progredi nequit, nec ſpiritus ultra illam promovere, tantum, namque ſolummodò datur, quantum unicuique ad perfectionem debitam requiritur.

47. *A Stellis, & æthere alteratur conſtitutio, ſive natura, aut temperamentum rei, quando horoſcopus, aut ſtatus nativitatis pervenit ad gradus, ſive poſitiones, aut approximationes, vel elongationes planetarum, principio vitæ contrarias.*

48. *Nimiùm, & ultra exigentiam operatio qualibet excitatur, fermentatione, ſive agitatione immoderatâ: moderata namque ad operationes vitales neceſſaria, & confaciens eſt.*

49. *Spiritus à fratre ſpiritu evocatur, ſi eidem nimium expoſitus ſit.*

50. *In quibuſdam rebus à fratre evocari non poteſt, propter arctam cum corpore ſocietatem, verum fratrem ad ſe allicit, quo miniſterio fortificatur, & magneterizatur.*

51. *Fermentatio eſt caloris in humidum actio, quâ humor caleſit, & ſpiritui ſubjicitur; vel eſt effectus ſpiritûs, in corpore circulantis, qui in eodem ſtatu permanere non poteſt, propter materiæ fluxibilitatem, & non quieſcentem coadæquationem.*

52. *Qui adhibito ſpiritu univerſali, ſpiritum particularem cujuſcumque rei, ad fermentationem naturalem excitare poteſt, & demum tumultus naturales ſedare, repetitâ operatione, res in virtute ad miraculum uſque augere poteſt: ſummum philoſophum ſecretum.*

53. *Mediante fermentatione, ſpiritum, quantùm per artem poteſt, purum ex cunctis rebus elicere, quis non novit? verùm penè omnes hoc ſine fructu multiplicationis perficiunt, quia fratrem fratri jungere neſciunt.*

54. *Omne fermentum fortiùs operatur, quia in fermentis, ſpiritus magis liberi exiſtunt.*

55. *Res tandiù in ſtatu naturæ permanent, quandiù tantum ſpiritus poſſident, quantum ad operationes debitas perficiendas, ſatis eſt.*

56. *Hinc interitûs rerum naturalis cauſa patet: Singula tendunt ad maturationem, tanquam ad perfectionem, & quando matura ſunt,*

jam

jam ſpiritus magis liberè incipit ſuas exercere vires, atque agendo diſſipatur, & evaneſcit, quæ ordinaria in mixtis non viventibus cauſa, tandem interitus eſt.

57. *Qui poterit evaneſcentem hunc ſpiritum apprehendere, & ad corpus ex quo elapſus eſt, vel ad aliud ejuſdem ſpeciei applicare, faciet mirabilia.*

58. *Ex hoc fonte philtra omnia naturalia emanarunt, & emendatione corriguntur: facilè enim in corporibus ejuſdem ſpeciei, ſimilitudinem realem violentam amoris cauſando, ſpiritus qualitatibus alterius corporis imbutos procreat.*

59. *Ea magis apta ſunt ad ſpiritum hunc particularem intercipiendum, quæ majorem ſimilitudinem cum partibus naturalitatis maximè conjunctis habent, aut quæ corpori vegeto applicata, ex tali contactu magis florida fiunt. Et hæc de corpore animalium, præſertim humano, ubi philtra maximum locum habent.*

60. *Spiritus hic, ubi ſimilem diſpoſitam materiam invenit, ſecundùm illam ſimilitudinem producta fingit, ſive texturat, compoſitaque ſigillat.*

61. *Ubi Spiritus unius corporis, qualitatibus illius corporis maritatus, alteri communicatur, compaſſio quædam, propter mutuum ſpirituum, ad proprium corpus fluxum, & refluxum generatur, non facilè diſſolubilis, ut ea quæ per imaginationem perficitur.*

62. *Nullus amor, niſi à commixtione ſpirituum generari poteſt, neque ulla compasſio, ſine eadem fieri.*

63. *Hæc commixtio nonnunquam applicatione naturali, ſive materiali, aliquando imaginatione, & non rarò ſtellis diſponentibus, perficitur.*

64. *Applicatione naturali perficitur, quando ſpiritus unius corporis, alteri implantatur, mediantibus iis rebus, quæ ad ſpiritum intercipiendum, alterique communicandum, apta ſunt: ſignatura verò cognoſcuntur, & ab antiquis amatoria dicta fuerunt.*

65. *Imaginatione verò producitur amor, quando imaginatio exaltata unius, imaginationi alterius dominatur, eamque, fingit, ſigillatque, atque hoc propter miram imaginationis volubilitatem, viciſſim, ac mutuò*

tuò fieri poteſt. Hinc incantationes effectum nanciſcuntur, & licèt aliqualem forſan in corporibus quibus utuntur, virtutem poſſideant, ſine imaginatione tamen hæc virtus propter univerſalitatem, diſtribui nequit.

66. *A Stellis ortum ducit reciprocus amor, vel quando diſpoſitio cœli, tempori nativitatum ſimilis fuit, uti abundè à peritis docetur, atque hæc firma eſt quammaximè, ideoque expetenda: vel benefici homogenei ſtellarum radii, ad propoſitum apti, in materiam diſpoſitam tempore congruo recipiuntur, & debito modo in uſum deducuntur, uti naturales magi docent.*

67. *Qui poterit hiſce modis ſpiritûs univerſalis virtutem miſcere, mirabilia perficiet.*

68. *Spiritum univerſalem, dùm in operationibus promovendis, inſtrumentis hoc ſpiritu impregnatis, uſus fueris, in auxilium vocabis magnum Magorum ſecretum.*

69. *Qui ſpiritum vitalem particularem colligere novit, & ad modum corporis ſpiritum efficere, curare poteſt ad quamcumque diſtantiam, implorata ſpiritûs univerſalis ope.*

70. *Qui poterit ſpiritum particularem, ſpiritu univerſali fortificare, vitam in ævum producere potis eſſet, niſi ſtellæ reluctarentur, verùm tamen non ſolùm vitam ſanam, hoc medio prolongabit, verùmetiam ſtellæ malitiam aliquatenus infringet, uti qui ſpiritûs hujus habitaculum novit, neceſſariò confitebitur.*

71. *Nihil poteſt putrefieri, niſi fermentationem priùs ſentiat, quia nihil pervenit naturaliter ad declinationem, niſi per ſtatum ſive gradatim.*

72. *Putrefactio eſt ſymptoma naturæ declinantis, ſive ſpiritus evolantis.*

73. *Nihil putrefit, quod ſpiritus volatilis magnam copiam, non poſſidet unitam.*

74. *Omnis calor à ſpiritu vitali procedit, ſicuti de motu dictum eſt, nec ille ſine calore ſubſiſtere, vel ſaltem corporibus miſceri poteſt.*

75.

referunt cum corporibus; quibus applicantur, cum quibus de-nde fluxum, & refluxum quemdam conſervant, per ſpiritum, qui aliquando ab imaginatione, & à ſtellis communicari po-teſt, cum in corporibus diſpoſitis radii proportionales incidunt. Verum advertatur pro coronide hujus magicæ ſcientiæ, ne pu-trefactio potius introducatur, loco virtutis exaltandæ, cùm pu-trefactio abſque magna copia, intervenientis ſpiritus volatilis introduci non poſſit, licet poſt putrefactionem, penuria, hujus experiatur, ideoque fugiatur acceleratio, pręcipuè in fermenta-tionibus, ne putrefactio accidat, niſi cum adjutorio ſpiritus u-niverſalis fermentatio fiat, cum putrefactio non à ſpiritu, ſed à corpore reſoluto in particulas coadæquatione quieſcentibus, ortum ducat. Tandem ut mechanicám epilogationem magicæ ſcientiæ tradamus, pro formula pręſcriptiva totum opus magi-cum, unuſquiſque ante oculos habeat illud, à quo initiati fui-mus, opus iſtud, nempè inſitiones plantarum, implantationes, & ſeminationes, immò una voce totam rem ruſticam: uti enim per artem ruſticam, res accelerari, meliorari, & multi-plicari poſſunt, immò multitudo magna novarum inventionum, & metamorphoſarum repreſentari, cum admiratione ignaro-rum, non comprehendentium vim harum rerum, quamvis; cum regulis à principio hujus operis traditis, ſi eis explicare-mus, ſtatim admiratio ceſſaret, ita dum quis philoſophus na-turalis magicus fieri vult, non cogitet ſuperſtitioſa, & impoſto-rias res, ſed tantummodo ei fufficiat, ruminari, & ſcrutari hunc ruſticalem modum, atque formam, qua uti poterit, ut aliis operationibus extra rem ruſticam, ipſam applicet, & cer-tò certiùs iſto modo philoſophus magnus magicus evadet, & abſque multò labore, deridebit aliorum ignorantiam, qui dia-bolica ſuperbia pleni, quamvis ad aſtra, ſuas cogitationes ele-vent, ſemper tamen inopes erunt [contrarium illius *qui ſe hu-miliat exaltabitur*] quod certè non accideret, ſi ſe more chriſtiano humiliarent, & terram, à qua ortum duxerunt, inſpicerent; rém-que ruſticam contemplarent? Quid mirum ergo ſi in primis ho-minibus tam legis hebraicæ, quam naturalis, & in principio magnæ illius reipublicæ Romanæ, primi & principales homi-nes artem ruſticam, quamvis in maximis reipublicę rebus oc-cupati, & detenti, non omittebant, & magni philoſphi erant, licèt parum de hoc nomine (oppoſitum currentium temporum, ofanitatis, & preſumptuoſę ſuppoſitionis contradicentis facti, plenorum) ſolliciti fuiſſent. Et hæc ſufficiant pro opere ma-

N gico

gico naturale me dixiſſe, cui libenter putabam adnectere virtutem, & modum operandi figurarum Cœleſtium inſculptarum, non ſatannicum, & ſupranaturalem, ſive ſuperſtitioſum, uti prima fronte ſonat nomen figurarum Cœleſtium inſculptarum, ſed purè naturalium, & magicarum (ruſtici agnoſcunt certa tempora, creſcentiæ, & decreſcentiæ Lunæ, & aliorum temporum, in quibus femina magis, & celeriùs, vel minus, & tardiùs, fructificant) uti pariter vim numerorum medicam; at quia tempus, otium, & impotentia ſcribendi non permittit, ne totaliter amicis certis, quibus promiſimus, deficiamus, appendicem ſequentem compendiariam ponimus.

APPENDIX COMPENDIARIA

Figurarum Cœleſtium inſculptarum.

IN re tam curioſitatis, & ignorantiæ plena, quamvis integrum tractatulum cogitabam conſtruere, tamen ab iniqua ſorte impeditus, ne ſicco pede prætercam, & curioſis amicis viris, id petentibus, occluſas januas relinquam, ne in hujus ſcientiæ, quæ magiæ naturalis pars eſt, penetralibus ingredi poſſint, dum auxilium in his quærunt, non valentes ex ſe ſolis progredi, hinc pauca ſequentia potius addere cogitavi, quam omninò mutilus remanere, in re reverà curioſa, & magna magnorum, tſilmenaia appellata, nonnulla minus naturalia.

Dicimus ergo, quoad figuras cœleſtes ſculptas, vel corporum cœleſtium dictorum, vel aliorum animalium, certo, & dato tempore inſculptorum, Arteficem antiquiſſimum philoſophum firmè credere, ſigilla, & imagines iſtas eſſe efficaciſſimæ virtutis, tanquam illa, quæ per artem magicam, purè naturalem ſapientiam, conſtructa ſunt: hac arte namque mediante, quia tempore efformationis ipſorum in tali conſtellatione, unitur ſpiritus univerſalis, anima mundi appellata, & determinatur in lapide, aliove mixto cum efformatione figuræ; ideò efficiunt, & cauſant effectus illos naturales denominatos miracula, ſcilicet effectus naturales, raros, inuſuales, & ſeparatos à viſibili materia, per virtutem animæ mundi, & cœlorum unà conjunctorum, & concurrentium ſimul ad eamdem operationem, atque quia tam anima mundi ſola, quam cœlorum conſtellatio

pariter

pariter ſola, poſſunt prodigioſas res producere, & cauſare, unita deinde, miracula cauſabunt, nam virtus unita fortior. Quicquid autem ſit de iſta, & ſimilibus opinionibus, nos autem dicimus breviter, ita putare, ſcilicet figuras cœleſtes, vel aliorum animalium, aut mixtorum, lapidibus, aliisvè mixtis dato tempore inſculptas, non eſſe ſatanicas, aut ſuperſtitioſas, uti rectè, & abunde probavit *Hieronimus Torrella* Medicus Phyſicus Valentinus in ſuo libello anno 1496. Valentiç typis dato cum approbatione; & licentia ſuperiorum. Operari naturaliter, & producere ſuos effectus has figuras magicè, eodem modo, ac operantur mixta omnia ſignaturas habentia, in quibus prodigioſç res obſervantur; e. g. uti efficeret ſeptimus mas in ordine natus abſque interruptione femellç filius (& hæc obſervatio valere poteſt etiam, pro vi numerica demonſtranda) qui, & oris habitu, & ſaliva, animalium præcipuè ſerpentum venena curat, & ſe ipſum incolumen à ſerpentum morſibus tuetur, & hinc apud ignarum vulgus, filii ſtirpis Divi Pauli Apoſtoli, vocantur iſti, non conſiderantes, quod dum ab eadem matre, & patre naſcuntur ipſi, & antecedentes alii ſex filii, etiam iſti ejuſdem ſtipitis eſſe deberent, & eamdem energeticam naturam habere, quam non habent, immò neque ſcrofulas, alioſque morbos ſaliva curant, uti primus efficit? cur hoc, non alia certè ratione, dum ratio ſtipitis non adeſt, niſi quia ſeptimus ſignatura gaudet: ſanguifera namque vaſa ſublingualia, ranula dicta, ita in ſeptimis maribus texuntur, ut potiùs figuram veram viperæ, quam vaſorum ſanguineorum repręſentent; ergo dicendum, quod ſicuti alia mixta ſignaturam gerentia, prodigioſas res efficiunt, ita iſti ſeptimi, per ſignaturam viperæ; & magnetiſmum correſpondentiæ, ipſis jam manifeſtatum, & determinatum, venena expellunt, alioſque prodigioſos effectus efficiunt, eodem modo ac vipera inciſa, ſi ſupra partem demorſam poneretur, & cum allectione magnetica veneni, curationem faceret. Hinc pro certo tenemus, hoc velle ſignificare dictum illud vetuſtiſſimum, vix intellectum quid revera ſignificet, nempè *monas gignit Monadem, & in ſe ſuum reflectit ardorem.*

Quare concludimus imagines iſtas operari eodem modo, ac naturaliter operantur, omnes illæ res, quæ ob naturalem ſignaturam taliter operantur, & non aliter. Conditio vero ſub talis conſtellationis efformatione, nil aliud dare, niſi illud, quod

 natura,

natura, rebus naturalibus tribuit, quod alioquin ab arte ſculpente tribui non poſſet, niſi fierent, ſub tali motione, & ſtatione Cœli. e. g. equi qui naſcuntur auguſti menſe, iſtud plaſticum ſecum deferunt, nempè dum per aquas, & rivos pertranſeunt, facilè in ipſis cubant, aut in fæcunditate, columbas feminas auguſto, mares martio natas, obſervamus hoc plaſticum, efficaciùs habere. Si namque in lapidibus, vel herbis, quæ certè quamdam magneticam correſpondentiam, adinſtar ſenſationis, cum cœlo tenent, inſculperetur equus vel columba, tempore quo in aëre viget circumpulſio, & ſtatus correſpondens, ac determinans, martii vel auguſti tempus (hæc intelligi debent pro conſtellatione) dubitandum non eſt, quod dum animalia iſta, figuras has deferrent, ejuſdem indolis, & energiæ fierent, ac ſuperiùs deſcripta nata tali tempore. Et hinc curioſi, qui has figuras efficere vellent, colligere poſſent modum, & tempus abſque ulla alia circumſtantia aggravante, vel ſuſpecta in catholica domo, nam fabrefactio harum figurarum nihil aliud habet, ut operari poſſint, niſi determinativam adaptationem ſymbolicam temporis in unione efformationis, uti pariter efficeret in multis ſimplex medicina, cujus pars principalis eſt magia. Unde meritò dicitur à medicis occaſio temporis prçceps, quæ niſi juſto ſtatuto tempore colligatur, & exequatur, etiam in medicinis ordinariis, pertranſit, & ad nil deſervit amplius. Unde concludimus, inſculptas has figuras, & imagines, naturales eſſe, naturaliter operari juxta ordinem traditum, & naturaliter inſculpi poſſe, abſque eo quod inimico noſtro deceptori ſatanæ arma demus, cum vanis circumſtantiis abignaris additis, quibus forſan, ut artem occultarent, vetuſtas caldaica docebat addi debere, uti in omnibus magni momenti, antiquitas faciebat.

ALTERA

ALTERA APPENDIX

Vim Numerorum Medicam tangens.

VIm numeri energeticè operativam adeſſe, præter authoritatem quamplurimorum inſignium ſcriptorum id admittentium, nec non authoritatem ſacrarum paginarum, præcipuè loci illius atteſtantis, Deum omnia condidiſſe in numero, pondere, & menſura, idem concludentem, libenter relinquendo authoritates iſtas, ut partem philoſophi faciamus, tantum contenti erimus, inter multas quæ afferri poterunt obſervationes, pauciſſima experimenta proferre, vim numericam fundantia, ac deinde quam breviſſimè modum operandi, ac quomodo ea eveniant, attingemus.

Michael ergo *Ettmulerus* aſſerit, pro numerorum determinatione, Zaffirum ſepties pulſibus affricatum, Zeneſton eſſe peſtis, & hoc tanquam verum, à non paucis medicis aſſertum fuit ante Ettmulerum; quamvis neque precifitatem numeri, neque magneticam allectivam vim operandi notaverint, & explicaverint. *Helmontius* unctionem dat pro quartana, cujus infuſio ſi fiat, rei oleum componentis ſemel, aut ter, vel quinquies, aut novies, certè effectum producet, & quartanam curabit, in aliis vero numeris ſive paribus, ſive imparibus (hinc non ob vim paritatis, vel imparitatis hæc fiunt) facta notata infuſio pro unctione nihil operatur, & vim non habet: tot grana integra piperis adinſtar pillularum deglutita, pariter curant quartanam; tot alia minoris numeri, curant tertianam, & ita pariformiter, pro aliis febribus, numerus variat: ſeptem integra ſtercora murium deglutita, alvum laxant: tres cimices aſſumpti, fœtum mortuum, & ſecundinas expellunt: ſecundina primi partus & maſculini mulierum, pro affectibus hyſtericis, & capitis, tam externè, quam internè, à quo ex recentioribus non predicatur, magnum remedium: umbilicus deciduus ab alligatione, pariter primi partus, & maſculini, amuletum efficaciſſimum experietur ab hypocontriacis, ſi geſtetur alligatus: pulvis catelli primitivi in clibano cum olla exiccati, quantum valeat, in curatione ſcrofularum, & tumorum

frigidorum, non eſt unus, qui ſciat, quando pulvis aliorum catulorum ad nil defervit, uti in ſuperiori Appendice tetigimus de effectibus alexiteriis exercitis à ſeptimo natu filio, & ita diſcurras de quamplurimis aliis remediis, & amuletis, quæ cum numero, energeticam vim deferunt in eorum operationibus, uti jalapa ad pondus granorum viginti ſex, mirabiliter dum aſſumitur, pellit vermes à ventre, & murium novem ſtercora deglutita, pellunt menſtruas repurgationes ſuppreſſas: & ita diſcurras de quamplurimis aliis effectibus fundatis ſub ratione, & vi numerica.

Quomodo autem operetur vis numerica, & per quam viam agat, præter illud quod in opere magico tetigimus, nempè per ſignaturam, cum ſignaturam conſiſtere in figura, motu, numero, vel interna compoſitione, nullus eſt qui philoſophus dici vult, quod negare poſſit, unde meritò cum *Artefio* vetuſtiſſimo Philoſopho in libro de ſecretis dicere poſſumus: *cognito numero, cognoſces qualiter notitia omnium rerum per illum habeatur*; & alibi idem author: *à calculis, primi homines omnium artium ſcientiam, omnemque cognitionem, invenere.* Et quia totum hoc à nullo meliùs, quam à ſignatura haberi poteſt, ideo ob ſignaturam talem numerum operari, concedere debemus, nam per vim magicam operatur, quæ praxim ſuam in ſignatura precipuè ponit.

Ad vim etiam numerorum pertinere videntur nonnullæ permutationes, ſi veræ realiter ſunt, & perpetuæ; uti creduntur, & vulgò vocantur annorum biſeſtilium, quamvis ineptè, nam biſeſtilis annus, eſt purus terminus commenſuralis, quo utimur elongando quartum quemque annum unius diei, ut magis exactè metiamur annum ſolarem in lunis. Suntque iſtę inter multas, quæ circumferuntur, faba leguminoſa planta ſaturnina, malefica, & melancholica, & hinc flatus cum vulgo gignere tenetur communiter, apud Gentiles maximæ venerationis, & ex qua multa ſuperſtitioſa faciebant (hic eſt modus magicus plantas examinandi) dicitur de hac quod ſingulis biſeſtilibus annis, ideſt quarto quoque anno, grana, ſive fructus ejus, inverſo ordine in ejus vagina alligatos deferat, & non uti ſingulis annis ferre ſolet. Ita arbor olivarum è contra apud Gentiles, & Veteres omnes planta balſamica, ſolaris, & caſta (hinc potionibus vulnerariis additur, ad internas læſiones, & ſolutiones continui emendandas) nuncius pacis, &

trium-

triumphorum, bonarum, ac religioſarum rerum figura, ita, & taliter, ut dum plantatur, ſi, à pura virgine, & caſta puella id fiat quammaximè fructificabit, uti è contra ſi à muliere impura, & meretricia id fiat, nunquam fructificabit: ſimiliter notatur de ipſa annis biſeſtilibus, ſive quarto quoque anno, in quo forſan per accidens biſeſtus accidit, folia inverſo ordine deferre, quod non facit in aliis annis: ita pariter nonnulla ſemina præſertim braſſicæ, ſi continuatim in eadem terra ex qua collecta fuere, per quatuor annos ſerantur, aut per totidem annos ſeneſcere fiant, in quarto in rapas tranſeunt, & permutantur; uti demum multis aliis ſimiles permutationes accidere traditur, quorum fides ſit apud narrantium. Certum eſt quod ſi hæ res verę ſunt, uti etiam dicitur de indumentis, quod in biſeſtilibus facilè conſumantur, non accidunt, quia biſeſtilis eſt, nam uti ſuperiùs dictum, præter elongationem unius diei, ad magis exactos calculos faciendos, nihil annus biſeſtilis defert ſupra alios annos. Sed tenendum rationabiliter enarratas, & ſimiles res, quæ afferri poſſent, ratione virtutis numericæ debere accidere, & eò magis quod numerus quartus, in quo hęc fiunt, à philoſophis magicis, & à Kabeliſtis appellatur numerus divinus, ideſt numerus cum majori vi, & efficacia operans, ſive numerus in quo nonnullæ res, dum deveniunt, energeticam eorum virtutem extendunt, vel contrahunt, atque proportionaliter ad iſtam variationem, tunc temporis multa efficiunt, quæ aliis temporibus efficere nequeunt, uti pariter accidit in ſignaturis, in quibus dum perfecta, & conſpicua ſignatura magis comparet, tunc multa fiunt, quę aliis temporibus fieri nequirent. Et hinc mihi perſuadeo apud alios nonnullos, quartum dici numerum ſolarem, ideſt ſicuti à ſole promoventur, aut diſſipantur multæ operationes, & virtutes, ita pariter in quarto numero ſolari multa accidunt, quę aliis temporibus numericis minimè accidere poſſent, tamquam improportionales numeri, qui illa promovere valeant.

Pariter notandum (uti præcipuè geometrici philoſophi noſcunt) numeros alios eſſe ſimplices, alios proportionales, cum quibus non ſolum magia, at alcebra ſtupenda pandit: Cum ergo tale mixtum ad numerum proportionale devenit (quod proportionale, eſt determinari in figura ſignaturæ) coadæquationem magneticam mumialem acquirit, per quam taliter operari facit, ſcilicet efficit ut dum ad talem gradum aſcende-

xit,

rit, ut ſua energia dilatetur, uti in fermentationibus magicis accidit, tunc effluvium ſuæ atmoſphæræ taliter etiam extendi-tur, ut uſque ad taliter operari valeat, non infra, vel ultra, nam niſi ad tot deveniret, quia vim energeticam proportio-nalem, non integraret, operari nequiret, ultra vero extendi minimè poteſt, quia extra spheram ſuæ activitatis, tunc opera-retur, quod implicat in naturaliſmo: quare activitatem nu-merorum nos dicere ſolemus, & appellare, extenſionem ma-gicam, quæ eodem modo, ac fermentando corpora extendun-tur ad talem energiam operativam, ita pariter deducendo ad talem numerum proportionalem mixta, extendere faciunt eo-rum energeticam activitatem, ad taliter operandum, & non aliter. Et hæc breviter tetigiſſe ſufficiant pro figuris, & ſigil-lis inſculptis, uti & pro vi numerica, aliis fœlicioribus inge-niis relinquendo, de his diſtinctè difuſéque tradere, dum nobis ſors non arriſit id facere, enarrata ſuperiùs impedimenta quoti-die cumulans, ni dicam augens.

APPENDIX ALIA TERTIA

In qua ratio determinatur quomodo Dæmones natu-ralibus rebus fugantur.

DUm in expeditione per tabellarios manuſcripti totum hoc opus continentis eſſem, ut typis daretur, en amicus Ec-cleſiaſticus Reverendiſſimus, cui totum obſequium, & reve-rentiam defero, jubet ut aliquid de naturaliter dæmones fu-gantibus, & de enſalmis adderem, quod quamvis mihi graviùs fuiſſet, tamen ne totaliter; poſt repugnans aliquod reſpon-ſum datum, eidem aliquo modo parere nollem, ſtatim, & feſtinanter, ſubſequentia pauca, in hac appendice contenta deſcripſi, ut operis expeditionem ulteriùs non retardarem.

Dæmones ergo tanquam filii tenebrarum, ſicuti tenebris, & omni alia re tenebricoſa, & melancholica delectantur, & gau-dent; ita averſantur, terrentur, & fugantur à ſplendore, & luciditate, ac ab omnibus lucidis rebus aufigiunt. Hinc ſpi-ritoſæ particulæ dum activæ ſunt in corporibus mixtorum, tan-quam illę per quas prodigioſi omnes magici naturales effe-

ctus

ctus exercentur, dæmones in fugam ponere poſſunt, & expellere.

Aſſertum hoc firmari poteſt à natura, & eſſentia illarum rerum, quæ à naturaliſtis, & medicis dicuntur fugare dæmones, cum hoc, nempè iſtas dari, pro certo, & indubitanter ſupponam cum multitudine philoſophorum, medicorum, & ſcriptorum tam rerum prophanarum, quàm divinarum, & theologicarum. Res enim iſtæ, quæ dæmones fugare notantur, ſunt nervinæ, ſpiritus viventium rectificantes, vigorantes, ac exaltantes, ita rutha, herba paris, & multò magis ejus ſemen ad dragmam unam ſumptum, hypericon fugadæmonum, & perforata dictum, ſabina, & multitudo aliarum rerum, quas brevitatis cauſa relinquo enumerare, & apud botannicos, & in pharmacopeis videri poſſunt: omnia enim iſta particulis ſubtilibus, proximitate ſymbolis cum ſpiritoſis, & æthereis abundant, ac per iſtas magicos prodigioſos effectus faciunt, igitur ſi per ipſas, alios prodigioſos effectus efficiunt, per eaſdem notatas particulas, etiam fuga dæmonum evenire debet. Quod ut clarius intelligatur, modus operandi, ſive earum virtus nervina, in quo conſiſtat, ac quomodo exerceatur, notandum eſt, quod ita probabiliter evenire debet.

Per nervos, & partes nervoſas ſpiritoſæ particulæ, ſive ſpiritus continuò fluunt ad ſenſus, & motus omnes promovendos, quare cum eædem operationes debiles obſervantur, id accidere debet, vel ratione vitii proprii earumdem partium, vel ratione ſpirituum malè conſtitutorum. Si primum poſtquam actuale vitium partium, quo poſſibile fuit, remotum fuerit, tunc nil melius vigorem eiſdem reſtituere valebit, quam particulæ ſubtiles ſpiritoſæ, vel ſymbolicè eiſdem correſpondentes. Si vero ratione malę conſtitutionis ſpirituoſarum particularum, tunc particulæ ſymbolæ, & eiſdem correſpondentes, vitium emendabunt, quod totum à nervinis rebus, quæ his particulis gaudent, quotidie experitur, reparari poſſe, uti de facto reparatur.

His prælibatis, nunc ad fugam dæmonum regredimur, Et dicimus ſpiritus viventium, ſive ſpiritoſæ particulæ (quod aſſignamus ſpiritoſis particulis, dandum etiam eſt particulis ſubtilibus aliorum mixtorum non viventium, nam particulæ hę ſubtiles iſtorum mixtorum, proportione, & ſymboleitate reſpondent ſpiritoſis particulis) quia ab ęthere originem ducunt, & æther in ſui ſubſtantiali eſſentia, luciditatem, ſubtilitátem, & facilitatem motus defert, ideo ſpiritoſæ particulæ, vel aliæ ipſis ſymbolę, & proportione correſpondentes, dum rectè conformatæ ſunt; dæmoniis reſiſtunt, & in fugam ponunt, præ lùciditatę, quam ſecum

cum deferunt, nam uti ſuperiùs diximus; ſicuti tenebras amant ipſi, ita à luciditate fugiunt,& abhorrent. Et è contra cum malè eædem particulæ conſtitutæ ſunt, & preſertim evadunt lentę, craſſę, & adauctæ molis corporeę, ac non ita ſubtiles, uti ordinariè, & naturali ordine eſſe deberent, tunc quia etiam in luciditate deficiunt, facillimè ipſis dęmones accedunt, & non terrentur, uti alioquin accideret, & hinc nil mirum ſi quotidie obſerventur melancholici vexati à dæmoniis,& dæmones uti rebuscraſſis lentis vulgò melancholicis, dum adverſus corpora viventia operari volunt, ſicuti multitudo Doctorum Eccleſiaſticorum, & naturaliſtarum practicè cognoverunt, quamvis rationem, quomodo id eveniat, nunquam determinarint, quia philoſophiam magicam naturalem non caluerunt, unde poſſent lumen haurire, pro his, & ſimilibus explicandis.

Spiritoſæ igitur hę particulę nullibi melius, quam in ſanguine, aut nervis reperiuntur, atque à nervinis (quas res ſuprà dæmones fugare diximus) pręcipuè certis particularibus ſpecificis fortificantur, dum aliquid earum luciditatis deperderunt,eiſdem reſtituitur quod amiſerunt, uti nomen nervini à modo operandi in nervos, nervoſaſque partes, per quas ſpiritoſæ particulæ nudæ, & impermixtę fluunt pro ſenſu, & motu promovendo, clarè denotare debet. Spiritoſæ enim hæ particulæ ſi lentæ, craſſæ, & molis corporeæ adauctę fuerint, pręter ſplendorem, & luciditatem læſam, quam ſecum deferunt, lentè, & torpidè fluent, ſicuti in melancholicis corporibus videre eſt: cum vero ſubtilitatem conſervant, pręter facilitatem motionis, & inſinuabilitatis, ſplendorem, & luciditatem conſervabunt, adeoque ob hanc ſuperius etiam adnotatam rationem, magis diſpoſitę erunt ad reſiſtendum, & fugandum dæmones, abhorrentes lumen, & ſplendorem.

Et quia per reſpirationem ab aëre ſpiritoſæ hæ particulę hauſtæ, & cum ſanguine in pulmonibus, & corde modificatæ, ut operari poſſint,dum in toto corpore, pręcipuè ad caput immittuntur, magna ſemper quantitas earumdem, in eodem ſanguine aſſervatur, præcipuè certis temporibus, & forſan, ac non totaliter ineptè in mulieribus tempore repurgationis menſtruæ, cum tunc tot, tantique effectus prodigioſi obſerventur inde evenire, qui aliis temporibus certè non eveniunt, imò in magis luxuriantibus, & publicis mulieribus meretricibus, hi effectus majores in numero, & efficacia ſunt, ideo ab his particulis, quodammodo tamen elongatis à naturalitate ipſarum, adnotatos effectus provenire, non eſt dubitandum: dicantque inconſideranter quicquid velint Medici, ab aliis ferè univerſaliter ſecuti, ſanguinem impurum, me-

melancholicum craſſum eſſe, & excerni tunc temporis, uti pariter credunt, & multò magis accidere in hominibus hemorrhoidantibus, nam ab effectibus, qui tunc accidunt, quique etiam quodammodo obſervantur in viris non ſolum hæmorrhoidantibus, at in gallicis gonorreizantibus, imò in omnibus hominibus malè affectis, & morboſis in partibus verecundis, ac genitalibus, à quibus omnibus æqualiter, atque à mulieribus menſtruantibus, ſi carnes animalium ſaliantur (ut mechanico aliquo exemplo notorio utar) fœtore aliquo, & malo colore eędem carnes afficientur: in melancholicis pariter,& hypocondriacis hominibus, uti hyſtericis mulieribus, materia ſolum ut craſſa lenta conſideranda non eſt, ſicuti ineptè fit, nam à *fructibus eorum cognoſcetis eos*: quantum enim valeant iſti ſupra alios homines in ſpeculationibus, divinationibus, inſomniis, ſimilibuſque rebus, quis eſt, qui non ſciat, imò tunc temporis etiam in ſenſibus externis aliqua adaucta activitas obſervatur, quæ niſi ab activitate particularum ſubtilium ſpirituoſarum eveniret, non haberemus unde realiter illam eruere: prętet quam quod vaſa aperire, exitumque quęrere, potius activitati, & mobilitati, quam lentori, & craſſitiei excrementitię competere debet, ni dicam nullatenus, atque inde prodigioſos effectus magicos multos naturales, indignos ut publicentur emanare, uti à naturaliſtis, practicè multiſſimi notantur, pręſertim, ut ad materiam propoſitam regrediamur, ſanguinem menſtruum in poſtes domorum poſitum, dęmoniacas magicas, nigras, & ſuperſtitioſas artes deludere, dęmoneſque expellere, fugare, ingreſſumque impedire, ne corpora habitantium, ſive incolentium vexare poſſint: dęmones namque dum corpora vexare volunt, materialibus, rebus naturalibus ordinariè utuntur, quibus commodiſſimè, & efficaciſſimè, particulę ſpiritoſę ſanguinis cum in vigore energetico ſunt, reſiſtere, & reparare valent, cum in rebus materialibus ſpecificatis, activiora corpora, pręter ſpiritoſas particulas reperiri nequeant, tanquam illæ quę cum anima intellectuali immateriali communicare, & operari debent, quare proportionari quò poſſibile eſt cum eadem anima intellectuali tenendum, & hinc rectè in ſacris paginis hæ particulæ ſpiritoſę, cum nomine animę ſtabulantis in ſanguine notantur, ſcilicet,ut earum efficacia operativa denotaretur, pręſertim ſplendor, & luciditas earumdem, quibus conditionibus, tanquam ab æthere provenientibus, & communicantibus per catenam aureæ correſpondentię, ideo per iſtas magicè operari tenendum eſt, dęmoneſque fugare, uti operantium, ac nervinæ res naturali ordine

efficiunt, nam demones, uti antea diximus, ſicuti tenebras quarum dicuntur filii, amant, ut matrem, ita à luce, ſplendore, & luciditate rerum omnium, ex oppoſito tenebris contrariarum, fugiunt, & earum efficacię, ac virtuti reſiſtere nequeunt.

Hinc etiam evenire tenendum, quod enſalmi, ſive ſi quę adeſſent verba, quę naturaliter dęmones fugarent, obſeſſos liberarent, morbos curarent, aliaque efficerent, uti non unus hominum, & forſan etiam Patrum tenet, inter quos Divum Auguſtinum alligant, dum exponit illud ſacrarum paginarum, nempè aſpidis obturantis ſibi aures, dum à circulatoribus incantantibus compellitur, in foveam, vel circulum ingredi, qui dicens quod aſpis obturat ejus aures, non quia intelligit verba, nam intelligentiam non habet, ſive caret, ſed quia à vi prolationis verborum ſentit in ſe quamdam immutationem, à qua ut moleſta ſe munire quęrit; igitur concludunt, quod realiter adſit naturaliter vis in verbis, juxta illud aliud ſcripturę ſacrę, in herbis, verbis, & lapidibus eſt magna virtus, per quam vim operationes enſalmicę promoventur, tamen quicquid ſit de veritate hujus, cum ad me non ſpectet, contentus tantum ipſe ero, rationem magicam reddere, quomodo operari debeant, ſi dentur hæc verba, & in quo conſiſtat eorum efficacia. Quare dicimus quod verba iſta ob ſplendorem, & luciditatem, quam promovent dum proferuntur, effectus ſuos, & non aliter producere debeant, nam hoc pro certo teneo, quod id ſi accidat naturaliter, uti ponitur, fieri debeat per principium illud naturale magicum operativum, à quo omnia portentoſa proveniunt, nempè per ſplendorem, & ęthereum lumen, quod in particulis ſubtilibus, & ſpiritoſis ſubjectatur, & reſidet, nam ablatis iſtis, nulla operatio naturalis magica prodigioſa haberi, aut mutationis impreſſio cauſari poteſt; Et ex alia parte certè tenere debemus, verba exprimere mentis conceptum; adeoque imaginationis radios ad operandum impellere, & quia radii iſti etiam lucidi ętherei ſunt, tanquam in mente promoti, ſive per impreſſionem mutationis ſenſibilis, ſive alio modo operentur, ſemper ob ſplendorem, & luciditatem, quam dant tempore, quo proferuntur, operari debent. Et hęc ſufficiant me tetigiſſe tantum.

FINIS